

CAPVT XXI. DE SCALIGERI STVDIIS GLOSSEMATIS

§ 59. Anno fere sexagesimo quarto saeculi decimi sexti Petrus Daniel¹⁾, philologus et iure consultus Aurelianensis, ex umbra bibliothecae monasterii S. Germani codicem Pseudophiloxeni, de cuius fatis et apographis vol. II p. XVI sq. disputatum est, protraxit glossasque descriptas cum Adriano Turnebo tum Scaligero monstravit. Atque Turnebus his glossis usus est in Adversariis et primum quidem nisi fallor in libro XIII²⁾: quorum Adversariorum praefatio data est Idib. Quintilibus 1564. Idem Turnebus glossas cum Cuiacio communicaverat.³⁾ Quod Scaliger testatur in Scaligerianis (ed. Hag. Com. a. 1666 p. 144): 'P. Daniel qui n'estoit pas de plus doctes, les avoit trouvez à St. Germain, les monstra à Monsieur Turnebus et à moy.' Inde excerpta sibi fecit, de quibus ibidem haec tradit: 'j'en avois faict un extract, que je voulois monstrer à Muret et Manuce en Italie, quoyque Manuce ne fust pas grand Grec, mais estant à Lion, R. Constantin, qui faisait son Lexicon, me pria de les luy laisser, quod feci'.⁴⁾ Nec neglegenda est epistula quam Scaliger ad Petrum Danielelem dedit (cf. Hageni commentationis p. 21), unde haec exscribo: *Nam de tuo optimo lexico, quod mihi commodasti, hoc vere dicere possum, me hactenus nullum librum tractasse, ex quo plus fructus ceperim. Infinita quidem in eo errata sunt, sed illa sunt, ex quibus illum fructum cepi. Adeo feliciter mihi versatus esse videor in illis emendandis. Sed nisi reliquum ad me miseris, vix mihi satisfecero de illis quaternionibus, quos iam accepi, cum ipsi auxerint mihi desiderium eorum, qui inter tuas manus restant. Quare oro te, mittas ad me illos, ut simulac eos exscripsero, tibi emendatos remittam. Ego fui Bituriginibus, ubi conveni J. Cujacium, qui mihi illius lexi partiunculam*

1) Cf. Hermannus Hagen: der Jurist und Philolog Peter Daniel aus Orléans, p. 9. Ceterum 'P. Danielis philologica' codex Bernensis 189 saec. XVI continet, de quibus cf. Hageni catal. p. 241 sqq. In his ad glossaria pertinent nonnullae particulae: velut sub no. 3 glossae aliquot Pseudophiloxeni incipientes ab his: *Tabo uirgil. Talia . . .*, exeuntes vero in hanc: *Tragula æquis foliis* (et sup. scr. *genus arboris iaculum*). Adiecta sunt explicationis causa nonnulla, maiore ex parte satis vilia. Cf. praef. II p. XVII. Sub no. 21 in foliis 22 quaedam excerpta sunt ex Pseudophiloxeno, de quibus diximus praef. II p. XVII. — Sub no. 49 post 'vitam Donati' et versiculos quosdam leguntur glossae latinograecae ex Abavus glossario desumptae.

2) Cf. XIII 14; XVIII 26; XXVII 10; XXVII 15.

3) Cf. Observ. X 34: *veteres glossae quae a doctissimo Turnebo ad me pervenerunt beneficio eiusdem Danielis, a quo Turnebus acceperat, ut idem in Adversariis suis retulit.*

4) Quid ex illis excerptis factum sit et quae ratio inter ipsa et cod. Scalig. Leidensem de quo infra agetur intercedat, obscurum est.

*dedit eorum, quae continentur sub litera V. Sed nihil est nisi tu totum mihi mittas. *** Mittas ad me quoque Papiæ lexicon, quod trades Pererio; ego vero pretium solvi iubebo.* Epistula scripta est IX Kal. April. Tuffoni; annus non indicatur, sed paene certum est de solo anno 1565 cogitari posse.¹⁾

Hoc igitur anno multae Scaligeri adnotationes natae sunt, quae partim in libris ipsius manu scriptis exstant partim a Vulcanio editae sunt, de quo mox agetur. Eodem glossario usus est Scaliger in editione Festi, cuius praefatio scripta est IX Kal. Novembr. CIOICLXXIV. Post Scaligerum alii quoque docti has glossas saepe ad Festi vel Pauli verba attulerunt, scilicet pendentes a Scaligero omnes; cf. quae in Scaligerianis ed. Hag. Com. a. 1666 p. 144 leguntur: 'Je m'en suis bien servy en mon Festus; je l'ay cité le premier. F. Ursinus mea Simia se les fit avoir, et depuis les a citez'. Ab anno demum 1573 omnibus aditus ad hunc thesaurum patuit: emissa enim sunt hoc anno 'Glossaria duo e situ vetustatis eruta ad utriusque linguae cognitionem et locupletationem perutilia' opera Henrici Stephani; qui liber cum Pseudophiloxeni tum Pseudocyrilli glossaria continet, quibus interposita sunt 'excerpta ex aliis veteribus lexicis graecolatinis seu glossariis (ut tunc temporis vocabant) vocabula in certa capita velut in communes locos digesta', h. e. Pseudodositheana, quae nos tertio volumini inseruimus. Pseudophiloxeni glossas unde Stephanus hausserit diximus in praef. vol. II p. XVI. Inscriptionem praemisit hanc: 'LEXICON LATINOGRAECVM VETVS GLOSSARII NOMINE INSCRIPTIONE: Ex quo multae antiqui sermonis Latini voces, hactenus incognitae, quaedam etiam Graecae cognoscuntur'. Pseudocyrilliglossae

1) In fine epistolae leguntur haec: *in tertio libro annotationum mearum, qui est sextus liber Varronis, ubi disputat ipse de Delphorum umbilico, velim haec verba reponas in annotatione, quae incipit: 'Vt tesauri specie', in fine, in quae tu repones: 'quamquam . . . umbilici.' Haec tu statim, ut acceperis literas meas, reponas velim, et me certiore facias. Vale.* Quae verba emendata cum in prima Coniectaneorum editione anno 1565 'Lutetiae X Kal. Septemb.' ad finem perducta exstent, epistula ad manuscriptum pertinere videtur, in quo emendationem fieri voluit Scaliger ante quam sub prelum mitteretur. Nec discrepat cum hoc, quod Biturigibus fuit illo tempore Cuiacius; anno enim 1566 is Augustam Taurinorum transmigravit; cf. Spangenberg Jacob Cujas und seine Zeitgenossen. Leipzig 1822 p. 22 sqq. Ceterum in Coniectaneis illis nullum vestigium esse harum glossarum iam Loewe Prodr. p. 40 exposuit: 'Quando autem Scaliger glossariis operam navaverit inde fortasse quispiam coniecerit, quod in Coniectaneis a. 1565 editis nisi oculi me fefellerunt nusquam glossae proferuntur, multae autem in Coniectaneorum appendice et in adnotationibus ad Varronis de re rustica librum a. 1573 editis, ut inter annos 1565—1572 Scaligeri studia glossematica cadere videantur.'

quae e codicibus nunc primum emergunt hanc habent inscriptionem: 'LEXICON GRAECOLATINVM VETVS in calce quorundam Cyrilli scriptorum inventum'. De fonte quo usus esse videatur editor praef. vol. II p. XXXII satis disputatum est. Eodem exemplari etiam Scaligerum usum esse, non excerptis antea confectis, per se intellegitur. Sed de his excerptis antequam pergam paulo diligentius quam praef. vol. II p. XV et XVI fieri potuit hoc loco agendum esse existimo.

Codex Leidensis Scaligeri 61, ut ab hoc incipiam, opuscula glossographica continet haec: 1) in fol. 45^v glossas quasdam latino-graecas, ut *Alipe* σιχαρ, *Summa auricula* πτερόνιον, *Lannae* λοβοί, *Trumae* παρωτίδες, in quibus alphabeti ordo non comparet; secuntur glossae alphabeticæ *Accensio* εἰσβολή, *Alburra* λεύκωμα . . . *Galliculae* τροχάδες: quae omnes in Stephani excerptis leguntur; 2) in fol. 48^r—64^r notissimum glossarium sic inscriptum: *Liber glossarum ex variis glossariis collectus*, ab *Applare cochlear* ad *Zanga pellis*. *Acro Nigris medium impedit crus pellibus* (= Vulcan. p. 667—698). Has glossas excipit 3) in fol. 65^r—69^r: *Iuridicarum vocum explanatio*; 4) in fol. 72^r—90^r glossarium latino-graecum Pseudophiloxeni (cf. praef. II p. XVII); 5) in fol. 90^v—92^r glossariolum graecolatinum ἀροτρίασις *cuma* — ψηριῶ *burdit γανριῶ* (e Pseudophiloxeno detortum); 6) in fol. 92^v—95^r tractatus de manumissionibus (cf. praef. vol. II p. XIII); 7) in fol. 139^r—139^v glossarum collectio haec: *Condiarium*, *aerarium* *fiscus*; *Subpensura*; *vesti-plex*; *Anticialis*. *flamen*; *Ansillum* *abditum antrum*; *Pandatitiae*; *Pandium*; *Fanister*. *fanaticus*; *Vareza*. *Varezonium*. *παράζώνιον*; *Clipellum*, *clipellarius*; *Vnctrinum*; *Serpilastrum*; *Brixillum*. *Brixia*; *Divona*. *Cadurcus*; *Pedocuculum*. *bis*; *Cuculum pedo*. *bis*; *Horcistipolis*. *post hypocaustum*; *Brax*. *braca*; *Suppinulare*. *genus vestimenti*; *Sororeclatum*. *plin.*; *Sulphur hillanum*. *gallenum*; *Termen* *mantile*. *Varro*; *Tragilipinum*. *ur'* *genus calciam.*; *Postilio*; *Statuarium*. *basis*; *Digitta*; *Catacussis*. *vas*; *Aeglitrae*. *vas*. *velitriae* *Tiberis*; *Eglidriae*; *Suericulum*. *edulae*. *Sucris*. *varro*. *petron.*; *Trunculus* *Porcilia Attala idem*; *Bargila mantica*; Secuntur 8) glossulae illae quas Vulcanius p. 699—700, nos V p. 613 sq. exhibuimus; dein in fol. 166^r—170^v 9) glossarium latino-arabicum, quod Vulcanius omissis interpretamentis arabicis p. 701—710 excerptis (cf. p. 188); 10) in fol. 179^r—180^r glossae latino-graecae ex Pseudocyrilli glossis graecolatinis excerptae; in fine exstant haec: *Rotabulum* ἐνσκάδης (III 368, 61) *Arcumterebra*, ἔραξι. *vibraquin* (III 368, 79); 11) in fol. 180^v item glossae latino-graecae partim ex Pseudocyrilli glossis factae partim in glossis Stephani exstantes. Ceterum quo tempore Scaliger hunc librum scripserit, non traditur nec probabile est omnia eodem tempore esse exarata. Certe non est cur credamus, 'Isidori'

glossas et Pseudophiloxeni post editionem Stephani scriptas esse; nec ceteras, h. e. Pseudocyrelli et Pseudodositheii, glossas crediderim ex Stephano excerptas esse; provenisse potius mihi videntur ex epistulis sive Danielis sive aliorum, qui talia excerpta speciminis causa Scaligero miserant. Nam cur ex impresso exemplari eum haec exscripsisse putemus nulla ratio in aperto est.

Alter codex, Leidensis Scaligeri 25, in fol. 3^r—73^r Pseudophiloxeni glossas continet, de quibus praef. vol. II p. XV disputatum est; has excipiunt 'vocabula descripta ex diversis veteribus glossariis'; prima glossa est *Adunatas ἡθροισμένος*, ultima *vada βραχεία*; tertio loco exstant in fol. 77^r—80^r '*Romanæ voces a Graecis explicatae*. A. ἀδεστροῦτοι εἶδος ἱππέων (quibus adscriptum est ἀδουρουστία λευκόδιον) ἀκία κοντουβέρνιον, λόχος καὶ στήχος ταυτὸν ἐστὶ . acies . . . Ζάβα, ποδήρης lorica. Finis.' Pseudophiloxeno quae adscriptae sunt adnotationes, earum in editione nostra maiorem partem exhibuimus. Quae illas glossas excipiunt 'vocabula ex diversis veteribus glossariis' descripta, horum quae bilingua sunt transierunt in glossaria Labbaei. Longe plurima in aliis glossariis bilinguibus leguntur, inprimis inter Stephani excerpta; quae alibi non exstant, ex apographo Gundermanni subicere visum est (pars harum glossarum in cod. Voss. lat. in oct. 22 exstat, scripta manu G. I. V., h. e. Gerhardi Ioannis Vossii, cum hac inscriptione: 'Excerpta ex vetusto quodam Lexico latino-graeco').

Adunatus ἡθροισμένος; *Adequas locus in urbe Roma*; *Anabla ωφιλοιν* (in marg. for. *Nebula vel Ani nebula*, δοῦ φύλλον αὐτ οἰλφιον); *Atricia genus libi*; *Amen sanguen genus libi in sacris*; *Almicies ἐμπρέπεια*; *Amuletum φυλακτήριον, ἀποτρόπαιον*; *Bessalia*; *Battualia*; *Buttubata*; *Cambio ἀμείβομαι*; *Cautela largitur*; *ἀσφάλεια παραδεται* (s. scr. παραδέδοται); *Catumcum genus libi*; *Census suus ὑπόστασις ἰδία*; *Clavus inpurpurata vestis ἐμπόρφυρος ἐσθῆς καὶ ἔνηλος*; *Clavarius ἑλικοπος ὀλοκοπός* (in marg. ἑλικοποιός); *Conglobatio πολυπτυχία*; *Compitalia seu parentarium ubi eos qui peregre moriuntur colunt*; *Conspolium genus libi*; *Corellarium ἐπιχείρισμα*; *Comisatio συγγένεια*; *Compressio κομός* (in marg. κωμός); *Cocio μεταβολή* (in marg. βολέος); *Columnen στερέωμα*; *Cubula genus libi*; *Cupientia ἐπιθυμία*; *Dardus cellarius*; *Delogata τὰ ἀπονεμηθέντα*; *Defundo καταχέω*; *Defingo καταπλάσσω*; *Decotio ἐγνωμοσύνη*; *Depopulator λειπότακτος*; *Decaligator καταποτις* (in marg. *Decalicator καταπότης*); *Designator ἑκδικος*; *Decessor ὁ κατισχύμενος*; *Dolobella ἀξιντήριον*; *Ebesco ἀγοράζω* (in marg. ἀκοράζω); *Extar θεατρικὸν ἀργύριον*; *Extans ἀναφαινόμενος*; *Executio βοήθεια, ἐπιβρασμός*; *Experiundi τοῦ δικάζεσθαι*; *Expes ἀνέλπιτος* (!); *Famosa mancipia αἰσχροανδράποδα*; *Fendices imprecationes*; *Fori ἐδάλια*; *Frates genius minutalis in sacris*; *Fritilla pullis nomen*; *Frumen pullis nomen*; *Gesta avita ὑπομνήματα*; *Glos ἀνδραδελφή*; *Grattilla genus libi*; *Haec melitio ἡ μηχανή* (in marg. malitia); *Haec siliqua κεφάλιον*; *Hariolus ἑπικολος* (! in marg. θυηπόλος); *Hoc institutum ὁ δρος ἡ ἀγωγή*; *Iaculator ἐπιβάτης*; *Iaculum βόλον*; *Indiscussum ἀνεξέταστον ἐνλογόθετον*; *In calculum εἰς ψῆφον*; *Intimatur φαίνεται*; *Intervorsor φουράτης*; *Interversio φούραμα*; *Insinuat*

δηλοῖ, φανεροῖ; *Incapito* ἐπαρθῆμαι; *Indupero* ἐπιτάττω; *Inquissatus* τεθραυμένος; *Inmordosus* (in marg. *Inmorsus*) ἄδηκτος; *Impluvium* μεσάβλιον; *Inquinabulum* μόλυμμα; *Iugumentum* ζεύγμα; *Iusta* τὰ ἔθιμα; *Iuridica intentio* δικαία νόμιμος; *Laticus* ἐπιλήθμων; *Lindex* κόνις (in marg. *Lendex*); *Landices* ἐσκάριν (in marg. *Lendices* ἀσκάρις ἄκαρος); *Lucas* τὸ λυκοφῶς; *Magistratus* ἐξουσία; *Malitas* κακία; *Naeniae* ἀθιτάφια; *Naenia intestinum per quod proluvies editur*; *Nativa* αὐτόχροος; *Neceo* ἀμελῶ *Neglego*; *Nebulo* σκιερὸς; *Novae arae* νέα αλωνία (s. scr. *Novae arae* νέα ἀλωνία); *Nobo* παρεθῶ; *Oblicare* ὑποκαθεῖν (f. ὑποκάθειν margo); *Obra* πιδάχια (marg. *Obba* πιδάχνα); *Panclare* διαστρέφειν; *Plasea bovis cauda*; *Polimina proles aut testes*; *Praefiscini* ἀβασκάντως; *Polymita* ἐνταφιαστής (marg. *Polinctor*); *Palaria*; *Remulus* πάκτων *Higinus*; *Salinae* ἀλίκα ἀλείται; *Secius* ἀλλοιοτέρως; *Siser* ἄργιον σέλινον; *Spatarro* ἐπὶ ἐξουθενισμού; *Stipulatio* ἐπερώτησις δι' ἀσφαλείας; *Stellionatus* μιαιμαστωρ (μιαρὸς μιᾶστωρ); *Subditus* ἐνεχυρίασις ριασθείς; *Tabus* τὸ λῶθρον; *Tores torques*; *Tricae* τριχώματα; *Vita Deum immortalium* ὃ πόποι ἐκφώνησις ἀρχαϊκὴ ὡς *Κάτων*. Ad glossam quae est *Nativa* αὐτόχροος commemoratur hoc: In vet. *Notila* διαχροος f. *Notiva*. Glossae *Hariolus* *Fu* πολος et *Hornum* *τησεφετος* maiusculis litteris exaratae sunt: unde probabile est veterem illum codicem litteris maiusculis scriptum fuisse. Haud paucae harum glossarum ex Charisio fluxerunt, velut *siser* κόπουρον et *siser* ἄργιον σέλινον se excipiunt (= 32, 14), *hi grumi* οἱ τῶν ὄρων λίθοι (= 32, 21), *gerrae* πλεκτά τινα προσφερόμενα τοῖς τιχέσιν (= 33, 14), *quisquiliac* φουγάνων χαίτη (= 33, 19), *iusta* τὰ ἔθιμα (= 33, 30), *Extar* θειαυρικὸν ἀργύριον (contaminata ex 38, 19 sq.), *Vita deum immortalium* e. q. s. (= 240, 1 sq.). Certe constare videtur ad antiquitatem pertinere haec excerpta omnia.

Etiam in codice Scaligeri 65 glossematica quaedam leguntur. Inscriptio haec est: *Glossarium graeco-latinum*. Prior pars collectionem praepositionum, adverbiorum, coniunctionum graece et latine continet, pars posterior lexicon graecolatinum, sed recentis temporis ut videtur neque ad nostra studia utile.

Ad hos libros manuscriptos Stephani exemplar Leidense quod olim Scaligeri fuit, accedit (bibliothecae publicae gr. 3): cuius lectiones ad Pseudophiloxenum quidem spectantes sub signo *g* exhibuimus, ad Pseudocyrillum quae pertinent hoc loco visum est subicere (omissis eis quae in Harleiano libro recte exhibentur):

216, 33 ἀγκυλοκοπᾶ; 220, 14 *pu*dicabilis; 223, 60 *ruma*; 224, 4 *Rostra. Fori*; 227, 24 *clupea*; 229, 49 *obstrigillo*; 231, 26 *Susu*; 232, 53 *Depudeo*; 235, 32 *Succida*; 238, 57 *Orementorium aut Termentorium*; 239, 9 *eloco*; 239, 41 *deformo*; 242, 28 *obmuto*; 243, 52 *sicilix*; 244, 43 *mancus scaeus*; 245, 7 ἀρμενοπετές; 245, 25 *sponsor*; 247, 45 *sarculus*; 248, 20 *cetra*; 251, 8 *ancra*; 253, 14 *investis*; 253, 41 *spontanea*; 253, 50 ἀπουρῶ; 253, 51 ἀπουσία; 253, 52 ἀπουσία; 255, 42 *παλλομένων*; 260, 60 *oc*cator; 261, 47 *sinum*; 264, 11 τὰ ἐπὶ βρεφῶν; 265, 33 *batualia*; 265, 44 *ciniflo*; 266, 43 *histriculus*; 269, 19 *ravicula turbicola*; 274, 24 *dependo depondero*; 281, 4 *curulis*; 282, 3 *devius*; 294, 31 *barrit*; 295, 8 *bos Luca*; 295, 58 *involucrum*; 296, 52 *antilena*; 297, 46 *pulsatus*; 299, 41 ἐνλιμένιον; 308, 19 ἐπιθύμης; 310, 4 *ἐπειξίς*; 311, 30 *compesce*; 313, 33 *ἐποψ*; 322, 43 *transtrum*; 326, 57 *θειάφιον*; 328, 43 *ramex*; 331, 24 *ima spina*; 337, 56 *tegetes*; 337, 63 *ridica*; 338, 27 *vitus*; 347, 12 *ti*

nunculus; 348, 10 *fulgurium dium*; 351, 31 *scalprum*; 351, 39 *gigueria*; 353, 27 *sterculium*; 354, 24 *κουρείον*; 357, 18 *κόστις*; 357, 65 *lagena*; 359, 5 *pollubrum*; 359, 54 *λευκή τῆς*; 362, 41 *obliquoloquus*; 362, 47 *λῃθρος*; 367, 45 *μαινίς*; 371, 50 *μήλη*; 373, 41 *κιων* *κόχλος*; 374, 57 *pumilio*; 377, 26 *alucus*; 378, 25 *ξυλοβολών*; 385, 11 *ῥπήτιον*; 386, 32 *sternax*; 386, 38 *crepuscus*; 391, 2 *cloaca*; 414, 5 *longe secus*; 426, 5 *creber*; 426, 52 *πυτίνη τινα*; 428, 34 *rosalia*; 429, 39 *lipa*; 431, 13 *συκχαίνομαι taedro*; 431, 15 *συκχαντία*; 431, 16 *συκχαντός*; 431, 49 *penicula*; 432, 30 *strupus*; 432, 38 *conniveo*; 438, 11 *stipo*; 439, 34 *tonsilla add.*; 445, 52 *adlucinatō*; 457, 21 *τύπος*; 458, 10 *τρυγώνισσα*; 476, 4 *ostedo*.

Inter Pseudophiloxenum et Pseudocyrillum quae exstant hermeneumata Pseudodositheana, nunc primum edita sunt; nam quae anno 1516 colloquia emiserat Beatus Rhenanus cum Stephanianis non consentiunt. His quoque emendationes suas Scaliger adiecit, quarum potiores nunc commemorandas esse duxi.

350, 5 *adipe στέαρ*; 350, 38 *ώτάρια*; 350, 42 *strumae*; 351, 13 *ligamenta*; 351, 29 *interdigitiia*; 351, 37 *ὕμην*; 351, 48 *δέρμη*; 351, 54 *extalis*; 351, 63 *φιλοσοφούντων* vel *φιλοπονιῶν*; 352, 41 *παροίμιον*; 353, 34 *χαράκωμα* et *χάρακα*; 353, 56 *tonstrina*; 355, 14 *γεργοποῖον*; 355, 61 *φυνίς*; 355, 76 *galgula ἕκτερος*; 356, 11 *λοπάδες*; 356, 38 *κνικεντής*; 357, 58 *cadī et dolia*; 357, 82 *stimulum*; 358, 23 *unedone*; 358, 52 *κέρρατα*; 359, 5 *fagum φλέως*; 359, 19 *βοννιάδες*; 359, 36 *κοικωταί*; 359, 58 *rumex λάπαθος*; 360, 6 *sedum*; 361, 31 *καὶ ἄρκος*; 361, 45 *τομίας*; 363, 7 *φλεβός τόνος*; 363, 10 *νωθρότης*; 363, 32 *συνάγη*; 363, 60 *ἐξανθημάτιον*; 365, 14 *subgrunda*; 366, 10 *κάμπτρα*; 366, 43 *fusus*; 366, 78 *luricarius*; 367, 34 *μολγοπόλης*; 367, 64 sq. *ἰσοψηφιστής* et *ἰσοψηφισταί*; 367, 80 *ῥήμδος*; 368, 11 *striata*; 368, 61 *ἐνοκάλης*; 369, 14 *χότρα*; 369, 27 *χνοῦς*; 369, 74 *τετρημελημένα*; 369, 77 *interpolata*; 370, 6 *ψιλόσημα*; 370, 7 *penula*; 370, 35 *flabellum σκιάδιον*; 370, 38 *ductale*; 370, 46 *στηθιστήρ*; 371, 21 *bractiarius*; 371, 38 *olerator*; 371, 58 *τιμὴ* *γένεια*; 371, 77 *τραγωδηταί*; 372, 24 *ἐντυριαδες*; 372, 44 *mespela αχράς*; 373, 47 *δαρτης*; 373, 73 *lenis*; 374, 19 *quietus*; 374, 35 *φασῶλος*; 375, 67 *extremalis ἐξωστιχίς*; 379, 11 *χαλικάριον*; 381, 37 *ὑποσιγῆν (!)*; 387, 9 *sacrifica pro copia adscriptum est*; 388, 15 sqq. *se praeteritum esse propter controversiam status quam sibi moverant vel se praeteritum esse mota sibi status controversia*; διὰ διαβολὴν δουλείας ἦν αὐτῷ; 441, 28 *caricula*; 441, 29 *carbonum*; 441, 30 *craticula*; 441, 71 *circulator*; 442, 6 *cis*; 447, 63 *ἀνάλωμα*; 448, 81 *lupinorum*; 449, 79 *βραστός*; 450, 12 *ἀμβλός*; 451, 60 *infermento*; 452, 49 *ἐνθετος*; 455, 48 *manuaculus δράγμα*; 456, 29 *θέρμητρον*; 456, 49 *mico*; 457, 13 *mostellum*; 457, 23 *κάλπις*; 457, 33 *nablio*; 457, 36 *natio*; 459, 9 *porceo*; 461, 64 *βλώμος*; 461, 65 *ἰπποζώων*; 463, 13 *λίμβα*; 463, 33 *scutra*; 463, 64 *ψῶχω*; 464, 41 *extalis*; 466, 4 *δάρτης*; 465, 33 *acia*; 468, 9 *ζωρεῖον*; 468, 15 *cilia*; 468, 37 *χωλός*; 468, 38 *γῆ σφραγίς*; 471, 30 *nuptilis γαμηλός*; 471, 54 *vas aquarium*; 471, 74 *volnus*; 472, 29 *βλώμος*; 472, 75 *sebum λίπος*; 473, 29 *sporta*.

Ceterum maiorem partem harum adnotationum iam Vulcanius in 'castigationibus' suis adsciverat, de cuius mira cum Scaligero coniunctione nunc paucis disputandum est. Anno enim 1600 Lugduni Bavorum prodiit 'THESAURVS VTRIVSQVE LINGVAE, Hoc est Philoxeni, aliorumque veterum authorum Glossaria Latino-Graeca et Graecolatina, ISIDORI GLOSSAE Latinae. Veteres Grammatici Latini et Graeci

qui de proprietate et differentiis Vocabulorum utriusque linguae scripserunt. Edita omnia atque recognita studio et opera BONAVENTURAE VVLCANII Brugensis. Cum eiusdem Notis, In quibus innumerae Compilatorum et scribarum mendae corriguntur, Plurimi etiam Veterum authorum loci emendantur atque illustrantur.' Quo in libro primum continentur Pseudophiloxeni Pseudodosithei Pseudocyrilli glossaria ex editione Stephani repetita p. 2—666; accesserunt alia quaedam opuscula quae non leguntur apud Stephanum; denique Vulcanii notae ad glossaria et cetera opuscula submissis indicibus. De notis Vulcanii ad Pseudophiloxenum quid statuendum sit iam Loewe Prodr. p. 183 docuit: nempe eas non tam Vulcanio deberi quam Scaligero, ut adhibitis Scaligeri ad Festum adnotationibus et eis quas marginibus codicum Leidensium 25 et 61 adscripserat demonstrari potest. Idem de multis in Pseudocyrillum et Pseudodositheum adnotationibus valere ex comparatis coniectaneis marginibus editionis Stephanianae (cod. Leid. bibl. publ. gr. 3) adscriptis apparet: de multis adnotationibus idem valere dixi, nam de omnibus valere demonstrari non potest. Sed difficile erit Scaligerana a Vulcanii inventis si quae sunt dignoscere. De his igitur adnotationibus quod addam non habeo. — 'Glossae e glossario arabico-latino veteri ms. collectae' quae leguntur Vulcanii paginis 701—710 haustae sunt ex Scaligeri excerptis (cod. Leid. Scal. 61 fol. 166^v—170): cf. quae p. 189 exposita sunt. Ex eodem codice 61 fluxerunt 'vocabula rariora collecta e glossis veteribus', quae Vulcanius p. 700 exhibet (cf. vol. V p. 613 sq.). Descripsit eadem Burmannus I p. 387—389 adnotatiunculis in margine adiectis, quas tamen parvi momenti esse iudico.

§ 60. 'LIBER GLOSSARVM EX VARIIS GLOSSARIIS COLLECTVS' quam originem habuerit et quae fata nunc melius quam antea novimus: qua de quaestione cum perbene meritis esset Gustavus Loewe Prodr. p. 23 sqq., disputationi eius nonnulla nos adiecimus primum in commentatione de Scaligeri studiis glossographicis scripta, quam supra commemoravimus, tum in praef. vol. V p. XXXII sq. De origine Scaliger (in Scaligerianis ed. Gron. a. 1669 II p. 125) haec dixit: *Isidori glossae in Vulcanii editione sic vocatae, quia ex multis glossariis cum sint collectae pleraque pars sit Isidori*: quod testimonium quomodo cohaereat cum inscriptione codicis Leidensis ultro apparet. Ex tali doctrina nata est Vulcanii inscriptio: *liber glossarum ex variis glossariis quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus*. Glossaria ex quibus glossae collectae sunt sub Isidori nomine circumferri non testatur Scaliger, sed partem potiore glossarum ad Isidorum pertinere putavit: quae Scaligeri coniectura est inde nata, quod ex Isidori libris haud pauca

in glossaria transisse viderat. Mirum est quod neque Scaliger ipse, qui collegisse has glossas putatur, certiora ut de fontibus ita de ratione fontes exscribendi protulit neque Vulcanius rem qualis esset satis perspexerat. Apud Scaligerum enim leguntur, velut haec: *in veteribus glossis, glossae veteres latinae, glossae Latinae aut in meis antiquis glossis, glossae meae veteres, veteres glossae quas penes me habeo aut Isidorus, glossae Isidori, in glossis Isidori, in meis glossis Isidori, in Isidoro, Isidorus in glossis, Isidorus in glossis quae sunt adhuc in membranis* (haec exstant aut in Festo Scaligeri aut in eiusdem *in <Vergilii> Appendicem Commentariis et castigationibus* anni 1573 aut in *Appendice ad coniectanea sua in libros M. Terentii Varronis de lingua latina* eiusdem anni: cf. commentationem meam supra allatam p. 224): a quibus si proficiscimur, constat Scaligerum quidem habuisse hanc collectionem, eum collegisse has glossas neque ipse neque alius diserte testatur. Erunt fortasse qui ex adnotationibus quibusdam, quales exstant 590, 23 (*alibi andusilla*), 594, 73 (*in duobus inveni*); 597, 59 (*in aliis excillare*), 605, 25 (*in duobus inveni*), 609, 20 (*in alio Remascellata*), quibus paucae quaedam addi possunt, argumentum petant Scaligerum de codicibus a se adhibitis testimonium dare: at ne hoc quidem certum est, cum Scaliger, siquidem alius nescio quis collegit, ab hoc transcribere potuerit; certe hae adnotationes non in Leidensi solo, verum etiam in Vaticano leguntur. Quod cum ita sit, non audeo eadem confidentia uti qua fretus olim cum Loewio Prodr. p. 37 Scaligero excerptarum glossarum laudem tribui: nam si statueris Petrum Daniele¹⁾ vel nescio quem haec excerpta fecisse et Scaligero utenda dedisse, optime illis quae exhibui testimoniis satisfeceris. Vnde simul facile explicetur, cur neque Vulcanius neque alius quisquam illius aevi vir doctus tale meritum Scaligero tribuerit; haec enim Vulcanius 'Castigationibus et notis in glossas Isidori' praemisit: '*Praeter libros Originum quos olim scripsit Isidorus Hispalensis Episcopus, circumferuntur etiam Glossae tum ipsius, tum aliorum quibus tamen authoris sui nomen non est adscriptum. Eas omnes quotquot nancisci potui collegi; et non paucas ex exemplari cuius mihi copiam fecit Ill. vir Iosephus Scaliger emendavi, in multis coniectura mea usus. Quibus tu etiam benevole lector utere, fruiere, dum exemplar aliquod MS. integrius quam quae hactenus mihi videre contigit offeratur*'. Haec qui scripsit, Scaligerum has glossas collegisse ne fando quidem audivit. Vti potuit Scaligeri codice 61 et altero illo exemplari, quod Scaligeri fuisse praef. vol. V p. XXXIII docui; certe eum ex codice 61 solo pendere inde refutatur, quod glossae 589, 15—44 in hoc libro non leguntur, leguntur in apographis quae pro-

1) Huius opera in comparandis copiis glossematicis Scaligerum usum esse iam Hagen l. s. s. professus est; cf. 'Jahresbericht' anni 1876 p. 342.

priam classem efficere dixi. Constat igitur Scaligerum duo minimum exemplaria habuisse; ex altero nunc ut videtur deperdito hauserunt Vulcanius, Lindenbrogius, scriba codicis Vaticani, alterum est exemplar Leidense. Vnde intellegitur error Vulcanii, quo ductus sperare potuit novum idque melius illarum glossarum exemplar emersurum esse. Sed utut de Scaligeri in his colligendis glossis partibus iudicabimus, de collectionis ratione atque indole post Loewium nulla oriri potest dubitatio. De fontibus ex quibus quisquis collegit hauserit idem Loewe doctissime disputavit nec sine successu. Atque partem glossarum ex codice Leidensi 67 E (cf. p. 149), alias ex glossis Affatim, non paucas ex glossis Abavus plenioris memoriae, multas ex Osborni Panormia fluxisse feliciter coniecit; quin etiam demonstravit maiores glossarum series continuas esse transcriptas; nonnullas idem cum lemmatis notarum Tironianarum composuit (de quibus nunc docta disputatio Guilelmi Heraei¹⁾ conferenda erit Archii t. XII p. 83). Quamquam non semel impeditur inquisitio eo, quod glossae non ex uno solo fonte, sed eodem iure ex pluribus codicibus derivari possunt. In universum autem non dubito quin, enixam operam si quis velit huic quaestioni tribuere, longe plurimas glossas ad certum vel probabilem fontem revocare possit. Quodsi olim partem glossarum codicibus Italicis in itinere Scaligeri inspectis tribuere posse mihi visus sum, id cur nunc non audeam defendere ultro intellegitur: quis enim negaverit codicum ex quibus glossae 'Isidori' collectae sint partem prorsus interciderere potuisse? Sed vereor ne operam suam perdat quicumque quaestionem quae est de fontibus post Loewium et nostrum glossarium generale retractaturus sit. Nam plurimae glossae 'Isidori' cum testimoniis priscorum librorum nunc coniunctae sunt; quae restant, velut testimonia quaedam Osborni, facile inveniri possunt; quae non possunt, plerumque minoris aucto-

1) Quod Heraeus ibidem putat similitudines quae intercedunt inter lemmata glossarum plurimarum et notas Tironianas ita explicandas esse, ut qui glossaria condebant his notis usos esse dicamus, interpretamenta autem ipsos finisse, mihi quidem improbabile visum est. Quid enim demonstrare potest lemmatum congruentia per diversissima glossaria dispersorum? Nec convenit haec sententia cum ratione qua plurima certe glossaria nata sunt. A 'glossis Isidori' ne proficiscamur huius collectionis historia impedit. Codicem autem Vossianum (oct. form. 24) saeculo XVII exaratum esse non neglegendum erit. Qui compositionem lemmatum cuius rationem perbene illustravit Heraeus p. 37 sq. perspexerit, fieri potuisse, ut ex glossariis quaedam adscisceret qui haec collegit, non negabit. Quamquam ne hoc quidem certum est: possunt enim utrique collectioni eorundem scholiorum excerpta subesse. Ceterum hoc loco addo, quod supra commemorare debui, multa vocabula Tironianae collectionis cum glossis Pseudodositheanis congruere; cf. praeter Heraeum Gundermann 'Berl. phil. Wochenschr.' a. 1895 p. 622.

ritatis esse existimo. Atque fateor me olim dubitavisse, num has glossas in corpus glossarum traducerem: sed tamen fati huius collectionis cedendum esse putavi; nam dici nequit quam saepe et multis locis his glossis occurramus. Ceterum ad has quoque glossas adnotationes edidit Vulcanius p. 91—104; quarum in fine exstant haec verba: *Habes, benevole Lector, varias quae Isidori nomine circumferuntur glossas in unum veluti fascem collectas, cum emendationibus et variantibus lectionibus, quas partim ad codicis illius cuius mihi copiam fecit Vir Illustris Iosephus Scaliger, partim aliorum quos mihi videre contigit oras adnotatas reperi, quas meis in illas coniecturis et notis inserui. Cum vero glossae Isidori passim a doctis viris laudentur, nolui ut eas diutius desiderares. Vtere itaque his et fruiere, dum aliud exemplar M.S. melioris notae, cuius mihi ab amico quodam spes facta est, nactus fuero e. q. s.* Haec denuo confirmant quae supra exposui. Ceterum animadversionum plurimas iterum Scaligero deberi, ex his apparet codicis Leidensis 61 adnotationibus apographo Burmanniano debitis:

589, 7 *acoluthus*; 589, 10 *apostropha*; 589, 45 *Sulp. Sev. bis*; 590, 1 *incastratura*; 590, 9 *acatus*; 590, 12 *Cesespita runa*; 590, 14 *Ausonium*; 590, 15 *auctiuncula*; 590, 23 *Andusilla*; 590, 26 *Angina*; 590, 28 *Aginatores*; 590, 36 *Prudent.*; 590, 42 *Agaso*; 590, 70 *Adsecula*; 591, 18 *Atanuvium*; 591, 22 *ἀπάφθρον*; 591, 24 *Acclivem*; 591, 51 *Alterplicem*; 591, 52 *Bellicrepu sallatio*; 591, 58 *Lues*; 592, 1 *Bland-aff-*; 592, 4 *silva*; 592, 25 *Baratrum*; 592, 27 *Barbito*; 592, 41 *aenea concha*; 592, 56 *hircosi*. *Lucillius*; 592, 58 *Bestae maiiae Troiae*; 592, 61 *abortanea*; 593, 27 *subaxellare*; 593, 33 *vendit fumos*; 593, 49 *igitur legitur*; 593, 52 *Celoces*; 594, 15 *Catax Festo*; 594, 20 *Craticula focus*; 594, 29 *Cisternae lautumiae*; 594, 48 *add. συνεδῆμοι*; 594, 63 *ἀεγράτιον*; 595, 10 *amentavit*; 595, 14 *Catalecta*; 595, 20 *Catomium*; 595, 25 *Callosus*; 595, 34 *Calator*; 595, 36 *Cartibulum*; 595, 37 *Casnar*; 595, 41 *περηγίειν*; 595, 45 *Cuma, cucumula*; 595, 51 *Collibariorum*; 596, 3 *Craticula focus*; 596, 24 *amentavit*; 596, 37 *Camerus curbatus*; 596, 58 *Desultores*; 597, 2 *Dispescatis*; 597, 41 *Dolamen dolabra*; 597, 59 *in aliis excillare*; 597, 60 *manus*; 597, 61 *Exhorris*; 597, 67 *impudens*; 598, 6 *Exedra*; 598, 12 *ethnica*; 598, 48; 49. *Ectica et Ecticon*; 598, 53 *Extraculos*; 598, 63 *xenia*; 599, 13 *Ageator*; 599, 22 *baiulus*; 599, 32 *corruptae] curvatae*; 599, 45 *Fascina*; 599, 47 *laetum] lacte*; 599, 51 *Filonicia*; 599, 52 *Foraculam terebra*; 599, 58 *Flamen dialis*; 600, 6 *penult. longa a fascina*; 600, 13 *Ramiz*; 600, 14 *Fanceolaribus*; 600, 24 *Fabrum*; 600, 30 *came-laucos*; 600, 44 *Gazae*; 600, 45 *agger*; 600, 63 *Geminarium et Seminarium*; 600, 66 *Ianitrices*; 600, 67 *Glandias*; 601, 10 *ἐβνικος*; 601, 14 *Heroicas*; 601, 15 *Heniosus Haineus*; 601, 16 *castratio*; 601, 40 *καταστηλιτεύειν*; 601, 41 *Groma*; 601, 42 *Inducia*; 601, 51 *Iussoria*; 601, 55 *docere*; 602, 3 *Interlitus*; 602, 24 *καταστηλιτεύει et καταστηλίζει*; 602, 30 *Iners*; 602, 38 *galiae*; 602, 43 *Casnar*; 602, 56 *Linguis micat ore trisulcis*; 602, 60 *conchale*; 602, 63 *Lacerna genus cucullae*; 603, 1 *vagator*; 603, 7 *Lychni*; 603, 13 *Collusores*; 603, 14 *Larigena*; 603, 31 *agmen quod*; 603, 37 *silatos*; 603, 42 *grassator*; 603, 46 *Lignicisimus*; 603, 48 *Luceres*; 603, 58 *περιζώματα add.*; 603, 61 *medica*; 603, 62 *mandatur*; 603, 64 *Manualia*; 604, 13 *Mussat*; 604, 40 *Malta*; 604, 43 *Metapontum μεταβολή maris*; 604, 45 *Mannus burricus*; 604, 49 *Membranis tergoribus*; 604, 51 *Mosculus*; 604, 59 *Mimarius*;

604, 60 *inanium imitatores*; 604, 63 *Molossus*; 604, 65 *Musantum*; 605, 10 *ardeliones*; 605, 20 *Naturam*; 605, 29 *Gnitura*; 606, 2 ἀρόσκοπος; 606, 17 *Psyllus*; 606, 19 *Occidit Obiit*; 606, 21 *Operculatis clusis*; 606, 44 Μωρὸς παλαιὸς φρόνιμον οὐ ποιεῖ νέον; 606, 46 *Praepos*; 606, 50 *Paginae memoriae sine dolis*; 606, 51 *Pluteum*; 606, 52 *Pancreum*; 606, 53 *Pancrea*; 606, 62 *Patagus genus morbi Theophr.*; 607, 2 *Tinunculus*; 607, 3 *Pipulo convitio ploratu*; 607, 9 *Primipeta primum locum vel gratiam exposcens πρωτόφιλος*; 607, 17 *profecta sunt*; 607, 19 *vel plus quam*; 607, 21 *Procit*; 607, 26 *Pollinctoria, pulvinaria*; 607, 36 *vespillones*; 607, 37 τεμαχιστής ergo *Partitius*; 607, 49 *postulatur*; 607, 53 *promptuaria*; 607, 48 *post 'virgines' sequitur qui primam virgam gestat ante regem*; 607, 62 *'Persius: quem ducit palpo'* add.; 607, 67 *seplasiarius*; 608, 1 *perfectit*; 608, 5 *Pertinacius*; 608, 9 *Pellax*; 608, 30 *taediat et Petronius*; 608, 33 *Palaria*; 608, 36 *callosi*; 608, 47 ἀνέφορον add.; 608, 50 *Provocavimus*; 608, 61 *Petilis*; 608, 65 πτόγματα; 609, 1 μοιολόχος; 609, 27 *Revitere, rebitere*; 609, 29 *Carinas*; 609, 47 *Rati sunt*; 609, 49 *pronulo*; 609, 56 *quibus tigna*; 609, 58 *Chal.* add. Scaliger; 609, 60 *Encaenissat*; 609, 69 *venditor*; 610, 3 *Senturnia σύννοια*; 610, 9 *Strigia*; 610, 10 *Hygina*; 610, 12 *Istrio*; 610, 14 *Suffragatus*; 610, 16 *Succensetur*; 610, 20 *Subses*; 610, 27 *initiarium*; 610, 30 *Exceptoriae*; 610, 36 *in alio strica*; 610, 48 *Suppara*; 610, 49 βουκίων add.; 610, 67 σκόληκες; 611, 13 *Scavillum*; 611, 17 *Siltattarius*; 611, 20 *Lycospadum lupatum*; 611, 35 *sentiosus*; 611, 39 *Petronius et Suppis adscriptum*; 611, 59 *Submeiulus*; 612, 4 *Intertrimentum detrimentum*; 612, 5 *Tempestivum*; 612, 10 *Troginus calix Lucilio*; 612, 11 *capitium*; 612, 15 *Triarii*; 612, 18 *Tegularia et Petronius adscriptum*; 612, 24 *Tama tames*; 612, 27 *inde titiae aves et irrepsit per tumulum*; 612, 33 *Terripiscinae. vide Cuiacium ex Suida λαχέους et Aristophanis scholiasten*; 612, 34 *Cinctorium*; 612, 43 *siri*; 612, 57 βλλημάτια; 613, 16 *per otium*] *passim*; 613, 22 *Aginatus examinatus*; 613, 24 *camera*; 613, 30 *lusi*; 613, 37 *Viripos viripotens*.

Praeter glossas Isidori etiam Onomastici latinograeci glossas Vulcanius castigationibus et notis ornavit (p. 111—118): de quibus glossis olim magni a viris doctis aestimatis Loewe Prodr. p. 194sq. ita disputavit, ut illud glossarium nunc aliquo in numero esse desierit. Nam huius onomastici glossae 9652 latinograecae nihil sunt nisi Calepini 'lemmata mere latina a viro docto nescio quo — fortasse Iacobo Spiegel — saeculo sexto decimo in graecum sermonem conversa, quae in re vocabula graeca et hebraica, quae latinis litteris scribi solent, omittebantur omnia, nomina propria pleraque, rariae et obscurae voces nonnullae' (Loewe p. 198; cf. etiam Gloss. Nom. p. 125). Quod onomasticon primum editum est in lexico Calepini Argentoratensi anni 1537, 'non quo liber grandesceret, sed ut graecissantibus satis fieret.' 'Quo autem modo Vulcanius Onomasticon iteraverit, utrum diligenter an parum accurate, emendatius an corruptius, in hoc inquirere nihil iam refert. Multa eum correxisse negari non potest, cum sane editionis principis cum lemmata tum maxime interpretamenta graeca mendis typographicis scateant. Qua in re quas glossas Vulcanius emendaverit, quas male tractaverit e Calepini lexico facile nunc cognosci potest' (Loewe

p. 199). De fatis huius Onomastici infra iterum tractandum erit. In Scaligeri codice 61 harum glossarum nullum vestigium est: sed novisse has glossas Stephani exemplar a Scaligero adnotatum demonstrat, cuius in foliis 2^r—3^r excerpta ex illis leguntur; prima est *Abbas κοινοβιάρχης*, ultima *Vtricularius ἀσκαύλης*. In idem Stephani exemplar etiam aliud glossarium latino-graecum illatum est quod nullam cum ceteris glossis bilinguibus rationem habet itemque noviciae originis videtur esse, velut col. 209 exstat *tabellio πινακογράφος*; 210 *taxillus κῶβος*; *temo ἰστοβολεύς*; *testu ὄστρακον*; 213 *timoratus εὐβλαβής*. Ceterum ad glossas pertinet etiam codex Parisinus 7638 (Telleriano-Remensis 91. Regius 5891), scriptus ab ipso Scaligero, ut etiam catalogus testatur ('*is codex ipsius Scaligeri manu exaratus est*') qui in fol. 1^r—165^v glossarium continet ex meris lemmatis compositum. Incipit ab his: *Ab Abacti Abactores Abacus Abagio Abalienatio Abalienatus*, explicat sic: *Zostra Zuzonium Zusa Zythum Zygia Zymen Zygon*. Lemmata non modo ex glossariis, sed etiam ex scriptoribus desumpta fundamentum esse novi latini lexi videntur (cf. comment. mea de Scaligeri studiis glossographicis p. 230). Denique non neglegenda erunt verba Scaligeri schedulae inscripta, quam una cum apographo 'glossarum Isidori' manu Fabricii facto Havniae servari dixi l. modo scr. p. 230, ubi haec leguntur: *colligantur in unum volumen glossaria vetera Latina. conferantur cum Varrone, Festo, Nonio ceterae voces, quae etiam apud eos habentur praetereantur, indicetur saltem locus. Nisi forte quaedam sint addenda. Nam exactissimam habemus in veteres Grammaticos commentar. Corriganter omnia. verba quae voces quae Gloss. habent tamquam sibi propria, explicentur, illustrentur*. En habes qualem editionem veterum glossariorum fieri voluerit Scaliger: qua tamen ratione si rem aggressus esset, quo magis bibliothecarum thesauros novisset, eum de conatu desperaturum fuisse certum est. Sed mox alia ratio excogitata est, qua quidquid ex glossariis saltem bilinguibus accessit doctrinae ad virorum doctorum usum faciliorem accommodabatur, de qua ratione proxima paragrapho agere mihi decretum est.

§ 61. Anno igitur millesimo sexcentesimo Vulcanii editio prodierat. Eodem autem tempore, quo Vulcanius ad hunc laborem sese accinxit, id se pariter aggressum profitetur alicubi Casaubonus, qui cum accepisset Glossarii editionem parari a Vulcanio, ab incepto destitit' (praef. Labbaei p. 6). 'Et quamquam hac publicata posteriori editione nihil superesse videretur quod in hoc genere studii expetere quis posset, non defuere tamen, qui quod iam pollicitus erat H. Stephanus, summis votis exoptare se testarentur, ut nempe, cum in plerisque locis vel emendandis, vel a mendis suspicionem liberandis veluti mutuas operas

haec sibi Glossaria tradant, eorum facta invicem collatione, Latino-Graecum ex Graeco-Latino, vicissimque Graeco-Latinum ex Latino-Graeco, alphabetico accuratius servato ordine Glossarium adornaretur: cum in iis quae a Stephano et Vulcanio edita sunt, vocabula non statim sub marum occurrerent, ut quae sparsim et praepostera saepe, nec servata semper ubique literarum serie descripta sint. Quod igitur pollicitus fuerat H. Stephanus, quodque a viris eruditis, qui studiorum suorum compendiis vacant, tantopere hactenus fuerat expetitur, Iosepho Scaligero praesertim hortante atque impellente, quod testantur eius epistolae, praestitit Carolus Labbaeus Parisiensis' . . . (ibidem p. 6 sq.). Ac re vera Scaligerum hortatorem fuisse strenuum epistolae docent, quas ad Carolum eiusque fratrem Petrum Labbaeos misit, quos in tali glossario adornando occupatos esse audiverat. Loci ex illis epistulis qui huc pertinent in praefatione glossarii expressi leguntur; prima data est 6 Kal. Nov. anni 1601, ultima 8 id. Oct. 1604. Affero verba ex epistula data 6 Kal. Aug. 1602 haec: *Quod si ex vulgari editione, in qua praepostero ordine voces saepe positae sunt, quotidie tantos fructus percipimus, quantum emolumenti sperandum ex illa quam adornatis, in quo omnia ordini suo restituta erunt, cum emendationibus et accessione non vulgari.* Addo haec ex epistula Id. Dec. 1603 data: *Incredibili laetitia me affecerunt literae tuae, postquam ex illis intellexi te supremam manum glossario tuo imposuisse. Quid enim mihi iucundius potest esse, quam me illud opus, cuius concinnandi tibi auctor, hortator atque impulsor fui, ad exitum perductum esse, intelligere, ex eoque nobis et omnibus bonarum literarum studiosis maximam utilitatem, tibi vero immortalam gloriam comparatum iri?* Nec solum hortator et impulsor fuit, sed etiam sedulus adiutor; nec desiit eos consilio suo impertire. Velut cum fratres protraxisent lexicon bilingue, de cuius auctoritate dubitabant, Scaliger rescripsit novicium esse atque *'eius usu'*, inquit *'omnino vobis interdicto'*. Alio tempore cum incerti essent, quid de *'glossis Placidi'* facerent, hoc respondit: *'Illae glossae non magni momenti sunt, de quibus mecum agis postremis tuis, Carole. Poterunt tamen sine fraude ad calcem magni lexici subiici: sed selectiores, non omnes. In Glossarii autem Graecolatini et Latinograeci societatem non sunt admittendi scriptores proletarii, sed classici.'* Quae verba cum ad Placidum eiusque glossas perdoctas referenda esse viderentur, viros doctos merito obstupefecerunt; velut Loewe Prodr. p. 151 adn. 1: *'Non'* inquit *'putaverim haec illum propterea scripsisse, quod Vrsinus, Scaligeri simia, primo eis usus esset: quae opinio Scaligero indigna est. Num aliae erant glossae ab Vrsinianis Maianisque diversae?'* Sane erant: cf. Fabricii apographon Affatim glossarii in libro Havniensi (Loewe Prodr. p. X; supra p. 59), ubi post inscriptionem le-

guntur haec: *Sub Placidi nomine hae glossae a doctis laudantur et fortassis an sunt Placidi, interpretis Thebaidos et Achilleidos Papinii Surculi Statii*: quae verba Lindenbrogii esse videntur. Quantopere Scaliger adiuerit Labbaeum vel Labbaeos, ex nullis glossis magis perspicitur quam ex eis quae Servii nomine circumferuntur. Quarum glossarum apographon ex codice Puteani confectum cum Labbaeus misisset Scaligero, hic emendatum glossarium remisit Labbaeo et utendum concessit (cf. comment. de Scaligeri studiis glossogr. p. 230 et vol. III praef. p. XXXV). Quasculumque igitur Labbaeus proposuit harum glossarum emendationes, Scaligero reddendae videntur. Labbaei autem glossarium ipsum hanc habet inscriptionem: 'CYRILLI, PHILOXENI, Aliorumque veterum GLOSSARIA Latino-Graeca et Graeco-Latina, a CAROLO LABBAEO COLLECTA, et in duplicem Alphabeticum ordinem redacta. Cum variis emendationibus ex MSS. Codd. petitis, Virorumque Doctorum castigationibus ac coniectaneis. His accedunt Glossae aliquot aliae Latino-Graecae ex iisdem Codd. MSS. quae nunc primum prodeunt. Praeterea VETERES GLOSSAE VERBORVM IVRIS, Quae passim in Basilicis reperiuntur, ex variis perinde Codd. MSS. Bibliothecae Regiae erutae, digestae, et Notis illustratae ab eodem CAROLO LABBAEO'. Quod glossarium prodiit anno 1679; praefatus est Carolus Du Cange¹), ex cuius praefatione haec repeto: *Ita porro ille in eo condendo versatus est, ut non modo ab Henrico Stephano edita Glossaria simul contulerit, sed et vocabula quae in Onomastico Latino-Graeco, et in Sylloge illa, cuius meminimus, a Vulcanio publicatis, in eadem vocabulorum serie admiscuerit, hac observata indicationis ratione, ut voces quae in Latino-Graeco Glossario, ex Latino-Graeco, ac vicissim quae in Graeco-Latino, ex Graeco-Latino Henrici Stephani desumptae essent, nullo characteri designarentur: e contra vero quae in Latino-Graeco ex Graeco-Latino exscriberentur, litera C denotarentur, qua Cyrilli nomine inscriptum glossarium innuitur: vicissim quae in Graeco-Latino ex Latino-Graeco, litera P qua Philoxeni nomen intelligi datur: quae porro in utroque Glossario describuntur ex Excerptis, litera E, quae ex Onomastico, litera O, quae denique ex laudata Sylloge, litera S denotarentur. Quodsi Cangius S valere vult idem quod Sylloge, erravisse eum demonstravit Oehler Mus. Rhen. vol. XVIII p. 254: immo glossae S signo notatae ad Servii quae dicuntur glossas pertinent. Nec quae E notam gerunt, omnes ad Excerpta Stephani sunt referendae; cf. quae de hac re Loewe Prodr. p. 221 exposuit; ex quo loco discimus minimum duplicis originis esse glossas E nota signatas: fluxerunt aut ex Stephani excerptis et Scaligeri supplementis, de quibus cf. p. 247, aut sunt glossae bilingues*

1) Cangium esse editorem exposuit Loewe Prodr. p. 220.

incertae originis, ut βαρύνειος *profundus in iuncis*, βυρσοπαγή *navis fabricata de corio*, βυρσινόν *corium bovis*, ex bisso tinctum, βούρανον *galea ex capite bovis*, alia. Singula igitur rariora vocabula graeca explicantur non semel pluribus latinis. Nec desunt glossae latinograecae, h. e. latina vocabula graecae explicantes. De additamentis non habeo quod addam, nisi quod partem eorum ex codice Regio fluxisse inveni, quo etiam Cangium usum esse constat, h. e. ex codice Parisino 2628 saeculi XV, de quo conferenda quae II praef. p. XXXI leguntur, velut illud *profundus in iuncis*: qualia cum noviciae originis esse videantur, in societatem genuinarum glossarum non magis admittenda censui quam Onomastici copias. Quamquam nonnulla inesse concedo quae per se neque trivialia sint neque suspicionem moveant: sed cum ne de tempore quidem horum additamentorum constet, non ausus sum adhibere. Ceterum si fieri potuisset, iterum codicem Parisinum evolvissem; quod neque tempore quo haec scripta sunt licuit neque proximis annis licebit.

Praeter eas glossas, quas ex editione Vulcanii receperunt Labbaei, excerpta adiecta sunt 'ex glossario Graeco-latino bibliothecae Monasterii S. Germani Parisiensis', h. e. ex codice Laudunensi qui illo tempore in bibliotheca S. Germani Parisiensis fuit: cf. quae diximus praef. II p. XXVI. Eadem excerpta nos ex codice Harleiano antiquissimo vol. II p. 487 sqq. exhibuimus. Denique ex eodem codice exscriptae sunt glossulae illae nunc quidem graecolatinae, revera tamen latino-graecae et ex Pseudophiloxeni copiis ablatae. Cf. quae praef. II p. XXXVIII exposuimus. His additamentis subiunguntur 'Castigationes et emendationes in utrumque glossarium, ex codd. Sangermanensi et Regio, quorum mentio facta est in Praefatione, et ex virorum doctorum coniectaneis, Iac. Cuiacii, Ioseph. Scaligeri, Barn. Brissonii, Henr. Stephani, Petr. Fabri, Theod. Marsilii, Ios. Merceri, Melch. Goldasti, Bonav. Vulcani, Fr. Iureti, Desid. Heraldii, Claud. Salmasii, Isaac. Casauboni, Mart. Delrii, Hug. Grotii, Gotofr. Iungermanni, Gasp. Barthii, Carol. Labbaei, Iust. Lipsii, Fred. Lindenbrogii, Ioan. Meursii, Franc. Nansii, Dion. Petavii, Isaac. Pontani, Ioan. Pricaei, Nic. Rigaltii, Ioan. Schefferi, Ger. I. Vossii, Ioan. Wowereni, Eust. Swartii, Phil. Priorii etc.' Ceterum moneo codicem Regium esse Parisinum 2628, quem modo commemoravi: cuius lectiones haud paucas Cangius Castigationibus inseruit. Scaligeri quas attulit adnotationes, ex Festi editione maxime excerptae sunt. De ceteris viris doctis, quorum adnotationibus usus est editor, aut quod addam non habeo aut infra copiosius disputabitur.

His 'Castigationibus' adnexae sunt 'Veteres glossae verborum iuris, quae passim in Basilicis reperiuntur: quas ex variis MSS. Codd.

Bibl. Reg. Carolus Labbaeus eruit, digessit, et Notis illustravit', h. e. a. 1606, quas iterum imprimendas curavit editor a pag. 1—37 submissis C. Labbaei Notis 'in veteres glossas verborum iuris' p. 37—40. Quas glossas cur non adsciverim in societatem glossariorum latinorum vix est cur multis verbis exponam; neque enim hae glossae, quamvis per se minime inutiles sint, ad linguam latinam cognoscendam multa adferunt, sed docent quibus cum difficultatibus Graecis in legibus Romanis tractandis conflictandum fuerit. Vsus est Labbaeus in editione anni 1606 tribus codicibus¹⁾ Regiis, 'in quorum fine variae fuerunt harum vocum *συναγωγαι*'; alias habuit 'ex Illustrissimi Ios. Scaligeri et clarissimi Fr. Pithoei schedis'. Quae quidem glossae ante Labbaeum 'maximo studiosorum damno in Bibliothecarum pulvere sepultae iacuerunt' nunc vero omnes, quas nancisci potuit collectae et in unum corpus ex ordine alphabetico redactae sunt. De quibus glossis purgandis et explicandis quam bene meritus sit Scaliger post Schultingium (in Ottonis Thes. iur. Rom. tertio volumine p. 1702), Hauptium (Mus. Rhen. vol. XXXIV p. 506), Immischium (Leipz. Stud. VIII p. 303) inprimis docuit Ingram Bywater Mus. Rhen. vol. 42 (a. 1887) p. 62 sqq. ex Labbaei glossarum exemplari manu ipsius Scaligeri correcto. Ceterum conferendae sunt glossae quas cod. Scaligeri 25 in fol. 77^v—80^v supra habere dixi p. 247. Sed satis iam de Scaligeri meritis mihi videor disputavisse; pergo nunc ad aliorum virorum doctorum studia glossographica non omnium, sed quoscumque praeter ceteros bene meritos esse cognoverim.

1) Addere licet ex Anglorum thesauris nonnulla adnotasse Gundermannum. Inspexit autem codices talium glossarum hosce: 1) cod. Oxoniensem Bar. 50 saec. XI, ubi inter multa alia in fol. 109^v—110^v exstant *λέξεις ῥωμαϊκαὶ κατὰ στοιχεῖον. Αἰούτωρ βοηθός . . . φορμαρία ἀποφασίς θανάτου . . . τσιλευτάν*: quae collectio re, non verbis congruit cum Labbaeanis; 2) cod. Oxoniensem Bar. 158 saec. XV, ubi in fol. 141^v—142 sunt *λέξεις λατινικαὶ* velut *ἀδνοόμεον κατ' ὄνομα διέρεσθαι, Βία ὁδός, Βικάριος ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης*, quarum maior pars cum Labbaeanis potest conferri; 3) cod. Oxoniensem Bar. 95 saec. XV (*λέξιόν ῥωμαίων κατὰ στοιχεῖον. Αἰώωρ ὁ ἐνάγων. Ἀντικίνσωρ ἀντιγραφεύς* e. q. s.; pleraque quae excerpta vidi cum Labbaeo congruunt); 4) cod. Oxoniensem graec. misc. 113 (= Auct. F 4. 14) saec. XVI (eadem continentem cum 3); 5) cod. Oxoniensem colleg. Lincoln. gr. 10 saec. XVII ineuntis in fol. 157^v—158^v (*λέξεις λατινικαὶ*; multa conspirant cum 2); 6) cod. Cantabrigiensem (Univ. Libr.) Dd II 51 saec. XIV (*λέξιόν κατὰ στοιχεῖον ἐφεσηνηθέν τὰς ῥωμαϊκὰς λέξεις τὰς ἐν τῷ νόμῳ κειμένας*; quae vidi conspirant cum Labbaeo); 7) cod. Cheltenhamensis Phillippsonianum 1497 (Meerm. 172) saec. XV vel XVI (quae vidi prorsus conspirant cum 6). In catalogo codex Harmenopulo adscribitur, cuius certe *ἐξάβιβλος* praecedit. Ex codice Oxoniensi Barocc. 50 apparet iam undecimo saeculo, h. e. multo ante Harmenopulum talium glossarum *συναγωγὰς* factas

CAPVT XXII.

DESTVDIIS GLOSSOGRAPHICIS SAECVLORVM XVII ET XVIII

§ 62. Inter philologorum coniectanea quae Cangius exscripsit in castigationibus ad Labbaei glossaria pertinentibus (cf. p. 258) nemo saepius commemoratur Claudio Salmasio, cuius inprimis Plinianae exercitationes adhibentur, quamquam alii eiusdem viri libri minime neglecti sunt. Ac sane in illis Exercitationibus multus est polyhistor doctissimus in glossis adferendis explicandis emendandis modo bilinguibus, modo latinis, etiam graecis de quibus nunc non quaerimus. Saepe enim Isidori glossis utitur, ut 88^a, 188^b, 340^c, 1004^b, 1101^c; item glossis arabico-latinis Vulcanii, ut 296^c, 895^b; porro glossis 'Puteani', ut 229^b (*tragelaphus bestia quem Elcum vocamus*; cf. Thes. gloss. VII p. 360); glossis latinograecis locis innumerabilibus, item graecolatinis, scilicet ex Vulcanio, glossis pseudodositheanis et editis et non editis, glossis Servii, glossis graecobarbaris, scil. Meursii, de quibus infra agetur; idem aliis usus est glossis nondum editis, iatricis et botanicis seu herbariis vel simpliciter medicis, glossis medicorum recentiorum, ut Avicennae, item mere latinis, ut glossis 'Palatinis' (p. 100^a *glossae Palatinae quas penes me habeo*; exemplum quod adfert Placidi est V 87, 5 vel IV 126, 10), glossis Danielis, item aliis, ut p. 1205^c (= II p. 12), ne plura afferam: certe constat neminem tanta glossariorum copia usum esse quam Salmasium. Sed quascumque attulit glossas, cum aut notae nobis sint aut si minus notae, non magnae auctoritatis, hodie dignae non videntur quae accurate colligantur et proponantur. Glossae denique quibus in aliis libris usus est polyhistor, eiusdem esse prosapiae perspexisse mihi videor. Ex codicibus autem autographis Parisinis duo huc spectant, quorum alterum iam commemoravimus praef. vol. II p. XIV sq. III p. XI sq., ex quo excerpta uberrima mihi a Gundermanno olim facta praesto fuerunt: quae excerpta pertinent ad Pseudophiloxenum, Pseudodositheum, Puteani glossas (ex glossis 'Abavus' excerptas), de quibus cur diligentius nunc agam non esse videtur. Ad hunc autem librum accedit cod. Parisinus lat. 8738 (de la Mare 593, Reg. 6116; fol. 49) varia opuscula glossematica continens, ut in fol. 26 glossas latinas ad *Ce* seriem spectantes, item Observationes in Pomp. Festum, Isidori glossas et Excerpta Pithoeana e veteribus glossis in fol. 36^v—40^v, quae saepius cum Vulcanii notis ad Isidori glossas congruunt. En habes aliquot exempla: *Econes sacerdotes rustici. putabam aliquando esse εἰκόνας imagines tantum, hoc est stolidi, imago cum dicatur etiam stupidus et stolidus homo. nunc aliter censeo. Econes vel Egones ut etiam infra scribitur sunt αἰῶνες*

quasi dicas caprarii et bubulci. fucones rupices. et similia. hoc sine dubio verum est; Monopticus mimus. Legendum Monoscopticus in glossis Isidori; Oppito sospito. valde saluto. gloss. Isid. lege opito sospito ab opē opito opitare ut sospito sospitare, unde opitutor. haec est vera huius verbi ratio. His addenda quae in singulorum voluminum praefationibus passim de Salmasii studiis glossographicis protulimus.

Iam ante Salmasium alius vir doctus glossariis cum Vulcanii tum Labbaei diligenter usus erat, nempe Ioannes Meursius ut alibi ita in glossario graecobarbaro, cuius posterior editio priore multo auctior et emendatior anno 1614 prodiiit. Cuius lexici fundamentum glossae sunt illae in Basilicis repertae, quas anno 1606 Carolus Labbaeus ediderat, post illas glossae graecolatinae et latinograecae, denique glossae Isidori et latinoarabicae Vulcanii. Ad has glossas editas ineditae accedunt 'glossae graecobarbarae singulis paginis fere pluries' (ut est in indice 'Auctorum graecorum hactenus nondum editorum'), h. e. unum ex noviciis lexicis, qualia in bibliothecis plura latent, satis recens, ut vestigia neograeca aperte demonstrant (an e codicibus Leidensibus?). Multas glossas corruptas Meursius temptavit, ex parte feliciter correxit, inprimis glossas in Basilicis repertas; quarum emendationum partem Cangius in Castigationibus Labbaei glossis adiectis attulit.¹⁾ His adde quae Loewe Prodr. p. 183 exposuit.

His viris notissimis addendus Caspar Barthius, vir haudquaquam indoctus, cuius tamen doctrinam saepe levitas et vanitas quaedam superavit et obscuravit. Glossas vasti illius operis quod inscribitur 'Adversariorum libri LX' locis pluribus attigit; ante oculos modo Vulcanii habuit, modo Labbaei libros; haud ita paucas glossas corruptas temptavit, quarum Cangius in Castigationibus mentionem fecit. Nondum editae sunt 'Casparis Barthii et Conradi Samuelis Schurzfleischi animadversiones ad glossaria, glossas Isidori, colloquia scholastica aliaque glossematica scripta', quae manu scriptae exstant in bibliotheca Vimariensi sub Hs Fol. 65 modo ad Labbaeos modo ad Vulcanium accommodatae et iam a Valpio in editionis Stephaniani thesauri Londinensis praefatione commemoratae. De quibus post ea quae in Adversariis leguntur neque multa neque magna exspectamus.²⁾ Sed non modo glossas editas Barthius tractavit, verum etiam nova quaedam ex codicibus spe-

1) 'Index rerum et latinorum vocabulorum omnium in glossariis graecobarbaris I. Meursii et N. Rigaltii comprehensorum, confectus a D. 1623' est in bibliotheca Guelferbytana sub nro 382 teste Eberto p. 78. Rigaltius 'glossarium τακτικὸν μιξοβαρβάρων' a. 1601 ediderat.

2) Cf. 'Notae et emendationes ad Isidori Glossas ex Manuscriptis Barthii, Schurzfleischii et Daumii collectae et editae a Io. Ern. Imm. Walchio' quae in actis Soc. lat. Ien. vol. III a. 1754 p. 252 exstant.

cimina protraxit, de quibus iam Loewe Prodr. p. 164 disputavit. Primum enim 'in Adversariis commentariis XXXVII⁵ glossarium Vergilianum ... edidit, quo praeter Vergiliana non pauca multa continentur ex aliis scriptoribus petita. Idem glossarium emendatius et non interpolatum exstat in codice Vaticano 2730 chart. saec. XV inde a fol. 41^r (*abiurare abrogatur abhominari* prima lemmata sunt) usque ad fol. 102^r (*mola mollis* extrema lemmata) pertinens, quo de Theodorus Mommsen disseruit in *Hermes* t. VIII (a. 1873) p. 67 sqq. ... Barthianae glossae ad omnes alphabeti litteras spectabant, in Vaticano A—M tantum insunt'. Quibus Loewii verbis addo huius glossarii exstare exemplaria haud pauca partim in bibliotheca Vaticana, partim in aliis bibliothecis cum Italiae (Mediolanensem D 8 sup. commemorat ipse Loewe) tum extra Italiam. Nunc constat Guarinum Veronensem has glossas ex commentariis nobis haudquaquam ignotis collegisse (cf. Sabbadini, *La scuola e gli studi di Guarino*, Catania 1896 et *Riv. di filol.* 31 p. 470 sq.), Barthium autem quae in codice suo invenerat foede interpolasse, nisi statuere malemus ad scribam Barthiani codicis illas interpolationes redire. Cf. de hac re Mommseni 'Gesammelte Schriften' vol. VII p. 515 sq. et Servii vol. III 2 p. 527 sqq. Praeter illas glossas nobis quidem inutiles et glossariolum XXXIII 13 editum (cf. Serv. III 2 p. 523 sq.) Barthius *Adversariorum* commentariorum libri XXVIII cap. XIX (p. 1341—1343) fragmentum 144 fere glossarum ad unam I litteram spectantium edidit, quod olim 'ex manibus librorum conglutinatoris Londini extorserat'. His glossis non raro usus est O. Mueller ad Paulum, ex ipso Festo fluxisse ratus; re vera Panormiae fragmentum est; nam e 144 illis glossis 139 exstant in I litterae repetitionibus p. 291—295, quamvis prorsus alio atque apud Maium ordine. His quae Loewe Prodr. p. 242 exposuit non habeo quod addam. Item brevis esse possum de eis quae de Fausti Romani cuiusdam glossario dicit, quo Barthius frequenter in *Adversariis* commentariis utitur. Hoc enim "minime breve" et a "minorum gentium rhapsodo magistro Papia" exscriptum esse ille narrat. Praeterea de indole glossarii haec scripsit p. 511: "sunt apud me in conditoriis veterum memoriarum Fausti Romani — scriptoris adeo probi et eruditi, ut nullum adhuc viderim quem illi praeferre velim, eius quidem generis — glossae, non quidem multis verbis, sed plurima tamen vocabula enarrantes." Num re vera Fausti Romani glossarium exstiterit, admodum dubium est, cum Barthius vir sublestae fidei illud penes se exstare dicat. Quae inde protulit cum libro glossarum nihil fere commune habent, neque tamen omnia ficta esse videntur (Loewe Prodr. p. 165). Sed iam satis de Barthio disputavisse me existimo.

Ex doctorum saeculi XVII numero de glossis latinis praeter ceteros bene meritus est Carolus du Fresne dominus du Cange (Cangius) non tam novis thesauris e bibliothecarum umbra erutis aut emendationibus novis scite excogitatis quam glossarum supellectile ad usum hominum studiis deditorum feliciter accommodata et proposita. Huius enim viri merito factum est, ut glossarum infinita copia in lexicon mediae et infimae latinitatis traduceretur, unde saeculorum decursu studia diversissima egregio successu irrigari potuerunt. Fontibus autem glossematicis cum aliis usus est tum hisce: 1) Stephani et Vulcanii libris notissimis; 2) Salomonis vasto corpore; 3) 'Aelfrici' glossario latinosaxonico; 4) Papiæ rudimento elementario; 5) Hugucionis derivationibus; 6) Iohannis de Ianua catholico; 7) Matthaei Silvatici pandectis medicinae; 8) Marchesini mammotrecto; 9) Reuchlini vocabulario breviloquo; 10) glossis manuscriptis quascumque in bibliothecis latere invenerat sive ab aliis acceperat. Paucis annis post idem Labbaei librum nondum editum publici iuris fecit, praefationem praemisit, 'Castigationes' adiecit, in quibus prioris libri saepius mentionem fecerat. De codice Parisino quo usus sit in his supra p. 258 disputavimus; v. Loewe Prodr. p. 218 sqq. Idem denique in glossario 'ad Scriptores mediae et infimae Graecitatis' (ed. a. 1688) multas glossas bilingues attulit, modo ex Labbaeo, modo ex Meursii lexico graeco-barbaro, modo ex ipsis codicibus, velut e glossis iatricis, botanicis, aliis.

Praeter eos quos tractavi alii quoque viri docti nec ei pauci glossariis operam et studium impenderunt: quo e numero commemoro Casaubonum¹⁾, Heraldum²⁾, Goldastum³⁾, Gerardum Ioannem Vossium.⁴⁾ Ad hos accedit Fridericus Lindenbrog (Tiliobroga) qui non modo locis plurimis glossas adscivit nec semel correxit, verum etiam

1) De Casaubono haec testatur praefatio Labbaei: 'Sed et id [scil. emendatam editionem Stephani glossariorum] se pariter aggressum profitetur aliqui Casaubonus, qui cum accepisset Glossarii editionem parari a Vulcanio, ab incepto destitit'.

2) Cf. Adversariorum libros huius viri, et quidem libri I cap. I p. 1—4 (editionis Parisinae a. 1599); IV p. 10—18; VI p. 19; VII p. 28—36; VIII p. 36—43; XI p. 62—67.

3) Cf. Steinmeyer IV p. 483 et huius corp. III praef. p. XVI, ut alia mittam.

4) Cf. huius viri libros 'Etymologicum linguae latinae' et 'de vitiis sermonis et glossematis latino-barbaris'. Quomodo Vossius cohaereat cum 'Notis in glossarium vetus' codicis Parisini Suppl. gr. 83 praef. II p. XX paucis exposuimus. Hueti apographon descripsit Gundermann: sed non visum est has adnotationes, quarum maior pars edita est, iterum proponere. Idem Vossius alia haud pauca apographa reliquit, quorum partem iam commemoravimus.

testes studiorum suorum glossematicorum collectanea reliquit in Hamburgensi bibliotheca adservata, de quibus vol. V praef. p. XXXIII egi. De glossariis latinotheodiscis quae idem habuit, conferendus est Steinmeyer pluribus locis quarti voluminis velut p. 472 et p. 682. Inter doctos Batavos Scaligeri vestigia ingressos glossaria magnam auctoritatem retinuerunt et pauci clarorum philologorum fuerunt qui ea prorsus neglegerent. Quamquam duodevicesimo saeculo haec studia paulatim obtorpuisse fatendum est atque conticuisse. Quod certe mirum est: nam ad manum erant thesauri Gronoviorum, Vossiorum, Heinsiorum, Perizoniorum, aliorum, h. e. codices illorum in bibliothecam Leidensem illati. Atque bibliotheca Leidensis quanta glossariorum copia instructa sit more paene tralaticio comprobari solet notissimis illis Ruhnkenii in praefatione Apulei Oudendorpiani verbis: 'qua de re [h. e. de singularibus quibusdam Apulei vocabulis] liquidius iudicari poterit tum, cum quis iuniorum literatorum, qui nunc subitariis coniecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati tamen literis et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut glossaria latina in Leidensi bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate vel praestantia simile reperiatur, e tenebris in lucem vocet linguamque latinam, de cuius inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis nondum cognitis locupletet' (Loewe Prodr. p. 168). Quae scripserat Ruhnken anno 1786, repetita sunt in Opusculorum t. II (Lugd. Bat. a. 1823) p. 653 sq., cum iam antea Burmann longe plurima glossariorum Leidensium in chartas suas et apographorum thesauros transtulisset. — De quibus apographis Burmanni haec transcribenda esse putavi ex Loewii Prodr. p. 169 sq.: 'Codices XXI Burm. Q 5 duo spissa volumina sunt 4^o nitide scripta, quae Petrus Burmannus Secundus haud dubie edenda destinaverat, opus, ut iure suo ait Geelius, maximae diligentiae, quo carere non poterit, si quando inveniantur, qui Corpus Glossariorum condere velit. Insunt

Vol. I 1 p. 1—159 = cod. Vossianus Fol. 26. A et B litteris adscriptae sunt glossae e cod. Leidensi 191 petitae itemque coniecturae N. Heinsii et Petri Burmanni patrum [sunt gl. Affatim].

Vol. I 2 p. 161—323 'glossarium in SS. Biblia ex duobus Leidensibus ... collectum' [cf. quae de biblicis glossis § 56 disputavi; adde Loewii Prodr. p. 141].

Vol. I 3 p. 329—379: has glossas Lindenbrogius Placido falso tribuit [Affatim glossae sunt]; p. 380—385: glossae a Turnebo in Adv. XXVIII 5 et 6 editae; p. 385—391: minora nonnulla, non nimis gravis momenti, de quibus alibi fortasse plura.

Omnia quae inde a p. 329 usque ad p. 391 pertinent Hamburgi ex schedis Ioh. Alb. Fabricii descripta Ruhnkenius cum Burmanno communicaverat; p. 392—394 et 395: voces variae animantium.

Vol. I 4 p. 396—412 et 413—429: duo glossaria e Vossiano Oct. 24 petita.

Vol. I 5 p. 425—483; liber glossarum ex variis glossariis collectus: apographon particulae codicis Scaligerani 61.

Vol. I 6 p. 495—552: Dosithei glossae latinograecae;
p. 553—555: Eucherii glossarum spiritualium fragmentum;
p. 557—569: eiusdem glossae spirituales ex codice Leidensi descriptae.

Vol. I 7 p. 571 sqq.: glossae graecolatinae Dosithei; p. 635—711: epitome Philoxeni glossarum a Scaligero e codice Parisino 7651 excerptarum; p. 712—716: vocabula graeca rariora e glossis Philoxeni a Scaligero collecta.

Vol. II 8 p. 1—380: glossarium codicis Vossiani Fol. 82.

Vol. II 9 p. 1—19: particula codicis Vossiani Fol. 26.

Vol. II 10 p. 1—252: glossarium codicis Vossiani Fol. 24. Additae sunt 'schedae ad apographa Burmanni pertinentes', inter quas habes glossas Servii grammatici, glossarium manu Boxhornii scriptum, duo fragmenta membranea Papiæ, alia.' Haec Loewe; qui tamen rectissime negavit ad glossaria edenda Burmanni apographa sufficere, id quod et ipse et Gundermann apographis quibusdam denuo examinatis confirmare possumus. Ipsa autem glossaria bibliothecae Leidensis mox misere obdormiverunt, ut surdis auribus Ruhnken cecinerit.

Agmen virorum illis temporibus de glossariis latinis hac vel illa ratione bene meritorum claudat Faustinus Arevalus, doctus Isidori Hispalensis editor. Qui cum 'glossas' Isidori quae dicuntur praeter eiusdem 'differentias' editioni operum episcopi Hispalensis inserere et commentario illustrare sibi proposuisset, in 'Isidorianis', h. e. in Prolegomenis, cum harum glossarum ipsarum et differentiarum historiam criticam pertexuit uberrimam tum alias glossas, biblicas inprimis, in lucem protulit, velut glossas Veteris et Novi Testamenti, quas eum voluminis VII p. 407 sqq. edidisse supra p. 218 diximus. Vsus est in ea re copiis bibliothecae Vaticanae, cuius exemplaria plurima ut glossarum ita differentiarum inspexit et paucis descripsit, quamquam altius in quaestiones glossographicas non descendit.

CAPVT XXIII.

DE STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS A MAIO VSQVE AD
GVSTAVVM LOEWE

§ 63. Angelus Maius, primum Ambrosianae tum Vaticanæ bibliothecis praeffectus, quo nemo maiore successu reliquias veterum scriptorum tenebris bibliothecarum tectas protraxit potius quam illustravit, de glossariis latinis quadruplici modo meritus est. Primum enim Placidi glossas post Fulvium Ursinum qui illis ad Festum enarrandum usus erat ex quattuor codicibus Vaticanis tertii voluminis Class. Auct. p. 427—503 a. 1831 edidit, quae editio in Germania repetita est a Reinholdo Klotz in Iahnii et Seebodii Nov. annal. tom. suppl. II (a. 1833) p. 439—471 et 485—492; idem primus librum glossarum ad has reliquias male habitas adscivit et multa emendavit in Class. Auct. vol. VI p. 554—574 usus codice Palatino 1773 saeculi X. Secundo loco glossas commemoro quas ex codicibus quibusdam Vaticanis excerptas sexto et septimo voluminibus Classicorum Auctorum adiecit. Accedit tertio loco thesaurus novus Latinitatis in octavo volumine, h. e. Osborni Panormia, anno 1836. Quarto denique loco in 'Scriptorum veterum novae collectionis' volumine VI (a. 1832 edito) 'Attonis Iunioris Vercellensis episcopi Polipticum quod appellatur perpendiculum cum antiquis glossis et scholiis' evulgavit. Atque de Placidi glossis post ea quae in praef. V voluminis exposui nunc non habeo quae addam. Vaticana autem lexica edere se in animo habere voluminis quinti Classicorum Auctorum praef. p. VII diserte profitetur: 'quod vix propositum . . . ob immutatam occupationum . . . rationem' exsequi non licuit (cf. vol. VI p. VII). Pergit autem sic (vol. VII p. 7): 'ne tamen omnino promissi immemor videar, latinum breve glossarium huic volumini adtexo, quod ex Vaticanis codicibus olim mihi paraveram; nempe ex codice uno mirabili litteris grandibus saeculi ferme VI, ex altero saec. IX, ex tertio denique saeculi XI, quos omnes ab initio ad calcem expilavi. Alios vero codices, nempe unum saeculi X, tres saeculi XI, unum saeculi XII, nonnisi in litteris A et B excerptsi; progredi enim ob aliorum negotiorum instantiam non potui.' Vnde apparet non unum esse glossarium quod p. 501 sqq. edidit (glossarium vetus ex membranis bibliothecae Vaticanæ' inscriptio est) sed ex pluribus confusum et ad severiorem elementorum ordinem redactum: cuius glossarii fundamentum fuit cod. Vaticanus 3321 vetustissimus a me quarto volumine editus; in ceteris fontibus Vaticanus 1471 fuisse videtur, e quo multae glossae Terentianae haustae sunt, velut *Abremissioris neglegentioris*,

Absente nobis nescientibus nobis, Absquivis absquovis, Asinum tantum tam grandem iuvenem, aliae. Cur diligentius singulas glossas discernamus nulla ratio esse videtur. Ceterum quaecumque peculiariora exhibet Maius, in Thesauro glossarum emendatorum conficiendo adscivi. Etiam septimo volumini idem Maius glossarium addidit, de quo sic disputat p. 549: 'Augendi opes latinitatis cupidus, non ita brevem sexto in volumine vocabulorum numerum constipavi, ex antiquis glossariis sumptum, multoque uberiores mox in octavo congesturus sum. Nunc eodem codice utens, de quo T. VI p. 553 verba feci [h. e. codice Palatino 1773 libri glossarum] copiosam aliam glossarum seriem scribo, sane mendis compluribus interspersam quae vix ab homine otioso, nedum a me festinante, auferri possunt' e. q. s. Adnexum est p. 586 'specimen glossographi veteris in codice Mediolanensi (e schedis meis)', quo in specimine non glossae sunt quae proprie dicuntur, sed differentiae, etyma, orthographica, alia id genus. Ex libri glossarum codice Palatino etiam alia quaedam excerpta fluxerunt praeter Placidi glossas, de quibus cur disputem non invenio. De Osborni Panormia conferenda sunt quae supra p. 196 sqq. attuli. De glossis ad 'Polipticum' spectantibus et de hoc ipso opusculo quae dicenda esse videantur huic loco reservanda esse censui.

Atto igitur episcopus Vercellensis (a. 924—961) Polipticum creditur edidisse quod quale sit scholio undecimi saeculi sic explicatur: *polipticum est multorum descriptio. pol<is> grece multorum dicitur: non enim specialiter tantum de uno loquitur, sed plurimorum corripit <viti>a* (quae uncis inclusa sunt, in codice non iam legi possunt). Merito igitur polipticum saturam esse dicemus contra viros in rebus publicis potentissimos scriptam, de qua pluribus egit I. Schultze (Atto von Vercelli p. 30 sqq.). Exstat in codice Vaticano lat. 4322 saec. XI duplex huius opusculi recensio, quarum prior est in fol. 35^r—48^v, edita a Maio l. s. s. p. 43 sqq. Altera recensio est in fol. 49^r—69^r, cuius maiorem partem protulerat Io. Dominicus Mansi in appendice t. II miscellaneorum Balutii (Lucae a. 1761). Quae recensiones ita differunt, ut posteriori glossulae adscriptae sint modo inter versus modo in margine, priori non item; ipsa verba collocatione potissimum differunt. Quae diversitas qualis sit ut appareat, caput XVII subiciam ex editione Maii adscitis et apographo Tschiedelii et tabulis phototypis, quae apud me sunt.

Digna quidem species a torpido vix pululat vel nequando genere. Nec quae etiam ab expectabili extat, indifferenter provenit, sed subinde praecipuo defluit a germine, nequam ut praetextata tonant ad screptra, et est inde ruere crimen. Sed quemquam perficiet, nec sola dicatio magnum aequa, minoribus dignitatem imbutis quoque protendat honestus, quoad in aeter-

vale natum conscendere regnum. Redimiis debentur hae omnibus et filacteriae Christi. In mensura vitae cuique propria servare modestum. Accidiam ambire ponat extra, sit et abrogans sit neque congerro. Sat cui sint beneficia iuste ei quae liquerant antigenae, impendit et erilis liberalitas quae inlibato famulatu cogente, iure et exacta de proprio quae rusticatio fundit, ars et iniuncta quae rite depromit. Officia delegant, et sedulo si forte maiores, suppleat non pompam hic sed gestiendo perhennem. Emolumentum quae si referant, laudes aeterno rependat, et pariter obsequia. Deliquium et quamvis patiat, eundem non expes flagitare deserat nec in egestate blasphemet, ignarus qua sit sententia tactus. Inopinatae nequeunt num succedere vices? Pre se cenodoxus inhiet egratus, nam si auctionari erinis hic elisus poterit, ereboque retrudi.

A quibus altera recensio sic differt (in adnotatione posui scholia et quidem cursiva scriptura glossas interlineares, ceteras antiqua scriptura):

Digna¹⁾ quidem speties²⁾ vel viz vel nequando pululat a torpido genere.³⁾ Nec quæ extat⁴⁾ etiam ab expectabili⁵⁾ indifferenter⁶⁾ provenit.⁷⁾ Sed subinde⁸⁾ defluit⁹⁾ nequam¹⁰⁾. a praecipuo¹¹⁾ germine¹²⁾ Et inde¹³⁾ est crimen¹⁴⁾ ruere¹⁵⁾ ad screptra¹⁶⁾ ut tonant¹⁷⁾ praetaxata.¹⁸⁾ Sed nec sola¹⁹⁾ aequa²⁰⁾ dicatio²¹⁾ perficiet²²⁾ quemquam²³⁾ magnum²⁴⁾. ni²⁵⁾ honestus²⁶⁾ protendat²⁷⁾ quoque dignitatem²⁸⁾ imbutis moribus²⁹⁾ quoad³⁰⁾ valeat³¹⁾ conscendere³²⁾ in aeternum³³⁾ regnum. Et hæ filacteriæ³⁴⁾ debentur³⁵⁾ omnibus³⁶⁾ redimiis³⁷⁾ χῑ̄. Cuique³⁸⁾ servare modestum³⁹⁾ vitæ

1) Congrua. 2) speties est res quæ per aliquam differentiam descendit a genere. hanc aristoteles secundam substantiam dicit. dicitur autem speties ab aspectu quo solet discerni. plerumque tamen figuram significat. 3) genere. genus est quod de pluribus et differentibus specie vero quod quid sit praedicatur. 4) constat. 5) nobili. 6) indubitanter. 7) ad perfectum venit. 8) sepe. 9) emanat. 10) inutilis. 11) eximio. 12) origine. 13) scholion oculis discerni nequit. 14) grave peccatum. 15) Ruere cum impetu prosilire. nam ruere a ruina dicitur. solent denique qui incom^mode querunt ascendere infeliciter etiam ad ima devertere. 16) ad imperium. 17) sonant. 18) idest praedicta. 19) singularis. 20) iusta. 21) ordinatio. 22) explebit. 23) aliquem. 24) praefectum. 25) nisi. 26) Honestus optimus, quod nihil habeat turpitudinis. nam honestus dicitur quasi honoris status m . . . eum regalem tam decenter regere dignitatem ut non tant^{um} custodiri sed etiam exaltari per ipsum videatur nec solum in honoris principio sed etiam usque ad mortem hoc implere festinet. 27) exaltet. 28) honorem. 29) instructis consuetudinibus. 30) quousque. 31) possit. 32) ascendere. 33) aeternum regnum perhennem gloriam quia in hoc saeculo nullus poterit esse securus. 34) observationes. 35) debita sint. 36) cunctis. 37) Redimiis redimiae denique sunt quæ ab hostibus pervasa a propriis dominis redimuntur. redimiae ergo χῑ̄ omnes sunt christiani. quos a diabolica pervasione suo sanguine redimere et sibi reconciliare dignatus est. 38) scil. debetur. 39) aequum.

*in propria*⁴⁰⁾ *mensura*⁴¹⁾ *Ambire*⁴²⁾ *extra*⁴³⁾ *ponat*⁴⁴⁾ *accidiam*⁴⁵⁾ *et sit abrogans*⁴⁶⁾ *neque sit congerro*⁴⁷⁾ *Cui sat sint*⁴⁸⁾ *beneficia*⁴⁹⁾. *|||||* *que iuste liquerant*⁵⁰⁾ *ei antigenę*⁵¹⁾ *et quę impendit*⁵²⁾ *erilis*⁵³⁾ *liberalitas*⁵⁴⁾. *cogente*⁵⁵⁾ *inlibato*⁵⁶⁾ *famulatu*⁵⁷⁾. *etquę fundit*⁵⁸⁾ *exacta*⁵⁹⁾ *rusticatio*⁶⁰⁾ *de proprio iure*⁶¹⁾ *et quę rite*⁶²⁾ *depromit*⁶³⁾ *iniuncta*⁶⁴⁾. *ars*⁶⁵⁾ *Et si forte maiores sedule*⁶⁶⁾ *delegant*⁶⁷⁾ *officia*⁶⁸⁾ *suppleat*⁶⁹⁾ *non gestiendo*⁷⁰⁾ *hic*⁷¹⁾ *pompam*⁷²⁾ *sed*⁷³⁾ *perhennem*⁷⁴⁾ *Quę si referant*⁷⁵⁾ *emolumentum*⁷⁶⁾. *rependat*⁷⁷⁾ *pariter laudes*⁷⁸⁾ *et obsequia*⁷⁹⁾. *aeterno*⁸⁰⁾. *et quamvis paciatur*⁸¹⁾ *deliquium*⁸²⁾. *non expes deserat flagitare eundem nec blasphemet*⁸³⁾ *in egestate*⁸⁴⁾. *ignarus*⁸⁵⁾ *qua sententia*⁸⁶⁾ *sit tactus*⁸⁷⁾. *Num*⁸⁸⁾ *nequeunt*⁸⁹⁾ *succedere*⁹⁰⁾ *inopinatę*⁹¹⁾ *vices*⁹²⁾? *Nam si cenodoxus*⁹³⁾ *inhiet*⁹⁴⁾ *egrotus*⁹⁵⁾ *auccionari*⁹⁶⁾ *pre se poterit*⁹⁷⁾ *hic elisus*⁹⁸⁾ *erinis*⁹⁹⁾ *et retrudi*¹⁰⁰⁾ *erebo*¹⁰¹⁾

Iam ex hoc quod dedi specimine apparet orationis glossematicae luculentissimum exemplum dedisse auctorem, quali medio aevo qui docti videri voluerunt non semel usi sunt, verba trita despicientes et ex glossariis obscuras loquelas arripientes, ex Fulgentio, Placido, libro glossarum haustas: quod genus dicendi novimus iam ex notissima illa anthologiae Salmasianae praefatione, quam alibi (cf. 'Berichte der

40) secundum. 41) suum modum. 42) appetere. 43) ultra modum. 44) extimet. 45) tedium. 46) Abrogans idest humilis arrogans vero est superbus. 47) Congerero. Congerrones dicuntur qui aliena bona sibi congerunt idest congregant. 48) sufficient. 49) proficua. 50) derelinquerant. 51) Antigenae. maiores antegeniti. 52) adtribuit. 53) dominica. 54) largitas. 55) compellente. 56) fidei incontaminato. 57) servitio. 58) effundit. 59) peracta. 60) Rusticatio. laboratio. rusticatio quippe dicitur quasi ruris actio. 61) privata possessione. 62) legitime. 63) profert. 64) commissa. 65) Ars. ingenium. non enim solum regibus sed cuique modeste convenit vivere. et quae illi debetur tantum perquirere nedum indebita concupiscit iure privetur etiam adeptis. 66) sine dolo. 67) eligant. 68) ministeria. 69) humiliter impleat. 70) optando. 71) in hoc saeculo. 72) gloriam. 73) scil. gestiendo. 74) Perhennem aeternam. plus namque de adeptis ministeriis lucrum animae quam corporis perquirere debemus. 75) reddant. 76) lucrum. 77) retribuat. 78) laudationes. 79) servitia. 80) deo. 81) sustineat. 82) defectum. 83) maledicat. 84) paupertate. 85) inscius. 86) iuditio. 87) pulsatus. 88) an. 89) non possunt. 90) subvenire. 91) insperate. 92) Vices. alternationes. solent vero in officiis constructi interdum ab ipsis lucra adquirere. interdum etiam damna sustinere unde nunc ammonentur ut tam in prosperis quam in adversis aequanimiter se . . . studeant custodire. 93) vanae gloriae cupidus. 94) intendit. 95) (scholion discerni non potest). 96) augmentari. 97) ultra modum valebit. 98) oppressus. 99) Erinis miseriis. quidam etiam nomen furiae esse dicunt. 100) includi. 101) Erebo. inferno. sciendum tamen quia si ultra modum sequi tolli voluerit et hic plerumque deicitur et infernalibus . . . ris in futuro proinde mancipabitur.

Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 65 sqq.; adde quae p. 100 exposita sunt) tractavimus. His addendum esse poetam qui Gesta Apollonii (Duemmler Poet. lat. aev. Carol. II 484 sqq.) versibus illustravit ex eis quae post Schepssium (Neues Archiv IX p. 178 sqq.) Ludovicus Traube (Neues Archiv X p. 382) monuit apparet. Alia exempla praebet Aethicus Ister qui dicitur (cf. exempla quae l. s. s. p. 71 exhibuimus), item Abbo in carmine de bellis Parisiaca urbis. Vituperavit talia ut exempla iactantiae illicitae Hincmarus Remensis in epistula ad Hincmarum Laudunensem scripta (cf. ed. Cordesii Paris. a. 1615 p. 211): *Verba quoque abstrusa et undecumque per glossulas collecta et sine ratione posita, quae in hoc scripto tuo posuisti, sicut et in aliis Domno Regi et mihi olim directis conguessisti, redarguunt te typho iactantiae, cum dicat Apostolus: vobis novitates devota et paulo post: nos etiam moderni glossarios graecos, quos suatim lexicos vocari audivimus, sed et sapientum scripta de nominibus abstrusis habemus, et adeo sensatuli sumus, ut nostras dictatiunculas eo usque circumducere et producere possimus, quatenus verba Graeca vel abstrusa de glossariis adsumpta in admirationem vel stuporem nescientibus seu scalpentibus aures habentibus proferre possimus: quos locos primus attulit in praefatione glossarii sui Cangius. Similis generis Osborni et Hugucionis sunt praefationes, quas supra p. 192 et 197 expressimus. Eiusdem viri utramque recensionem esse falso testatur scriptor anonymus verbis post priorem recensionem et preces huic submissas (OREMVS. Deus auctor omnium . . . per omnia saecula saeculorum. amen) adiectis hisce (quae precedunt mutilato initio eodem spectant): *Sed postquam quae inibi addere proposuerat plane digessit liberum iam legere volentibus ad id permisit accessum. Audiens tamen quod ab aliquibus et etiam scolasticis artius in quibusdam protestaretur obstrusum apertius tunc cunctis ilico statuit inquirentibus quae libet huiusmodi dilucidare.* Quae verba ad posteriorem recensionem pertinent, qua obscura vocabula ex glossariis magnam partem hausta glossariorum auxilio illustravit, modo glossulis interlinearibus adiectis, modo marginibus dextris sinistrisque impletis, quorum scholiorum et interpretamentorum haud parvum numerum in libro glossarum inveni. Sed de hoc opusculo Maii industria in lucem revocato alio loco spero fore opportunitatem accuratius et rectius quam adhuc factum est disserendi. Ex scholiis quorum partem tantum exhibuit Maius, aliquot saltem in Thesauro glossarum emendatarum posui.*

Maii qui excepit operam festinationis plenam Franciscus Oehler, Arnobii editor (a. 1846) Halensis, non modo anno 1847 specimina quaedam studiorum suorum glossographicorum in Iahnii Annal. XIII p. 230 sqq. 325 sqq. protulit, sed ad maiora sese accingens editionem glos-

sarium nescio qualem praeparare coepit. Atque specimina illa quae dixi pertinent 1) ad glossas Isidori, quarum discrepantiam ex codice quodam Vossiano desumptam ('haec ex codice Isidori manu Nansii descripto sunt, qui in Vossiana exstat bibliotheca') et margini editionis Vulcanii Lipsiensis (bibliothecae senatoriae: cf. Naumanni catal. Rep. I 33) adscriptam edidit suisque coniecturis inutilibus plurimis utilibus pauculis auxit, ex quibus hanc vel illam in Thesauro glossarum emendatarum attuli (cf. Loewe Prodr. p. 35 sq.); 2) ad Osborni Panormiam, cuius codicem Amplonianum cum scriptura Maii asterisco in marginibus notata speciminis causa contulit (cf. quae diximus Loewe Prodr. p. 241 sq. et nos p. 264); 3) ad glossas Amplonianas notissimas, easdem quas nos in altero et quinto voluminibus exhibuimus, quarum glossarum partem aliquam integram edidit partem excerptis: quo in negotio eum cum negligentissime tum sine ratione certa versatum esse Loewe Prodr. p. 111 diserte monuit. Maiore successu idem de glossis 'Servii Grammatici' t. XVIII Musei Rh. (a. 1863) p. 255 sq. disputavit (cf. quae dixi p. 15); glossas ipsas quominus ederet morte impeditus est. De collectionibus autem quas reliquit in catalogo bibliothecae regiae Berolinensis ubi nunc Oehleriana adservantur haec exstant: 'Oehler, Franz, in Halle. Sammlungen über lateinische Glossarien in 10 Kästen (in Kasten 10 der Haupt-Hoffmannsche Nachlaß an Glossarien) = Lat. quart. 331 mit einem Verzeichnis dazu von Zacher = Lat. quart. 330 (acc. ms. 9929), 1874 erworben. Der Rest des Oehlerschen Nachlasses, namentlich eine Abschrift des Glossarium Latino-arabicum sec. IX ex bibliotheca acad. Leid., Scal. 231, in 7 Heften in quart. = Lat. quart. 332 (acc. ms. 10038), 1874 erworben.' De apographo codicis Leidensis cf. nunc quae Chr. Fr. Seybold (Gloss. Lat. Arab.) p. XII exposuit. Ex eis quae Loewe in 'Collectaneis' suis de excerptis Oehlerii adnotavit intellexisse mihi videor non fuisse cur has copias ipse denuo adirem. — Tertius post Maium est Gustavus Fredericus Hildebrand, gymnasii olim Tremoniensis rector († 1869): qui iam in Apulei editione anni 1842 glossas adhibendas esse, inprimis Placidi copias a Maio protractas cum perspexisset (cf. praef. vol. I p. IV. V), a. 1845 Arnobii adversus nationes libros septem adiecit eodem modo pertractatos: unde se mirifico glossas indagandi et detegendi studio accensum esse aperte fatetur. Mox cum per sex fere menses Parisiis versaretur, etiam ad eos bibliothecae Regiae codices, quibus glossaria latina continentur animus appulit et in tantam eorum molem incidit, ut vix quartam partem describere posset.¹⁾ In quo nu-

1) Cf. idem Muetzells Zschr. 1853 p. 113 sqq. (über die lat. Glossare zu Paris und Leyden).

mero etiam codex fuit Parisinus lat. 7690, qui 'Abavus' glossarii brevioris memoriam continet (de quo cf. praef. IV p. XXI). Quo codice ita usus est, ut litterarum A—C glossas quasdam quas ceteris praestare putaret exciperet, excerptas publicaret, reliquas integras adiceret, omnes commentario illustraret modo emendationibus propositis modo glossis ex aliis glossariis allatis, velut ex libro glossarum, glossis Maii, Papiae, glossis Isidori quae dicuntur, Amplonianis Oehler, glossis quibusdam illius libri Parisini 7690. Liber quem anno 1854 Gottingae emisit hanc habet inscriptionem: 'GLOSSARIUM LATINUM bibliothecae Parisinae antiquissimum saec. IX. Descripsit primum edidit adnotationibus illustravit Prof. Dr. G. F. Hildebrand schol. Tremon. prorector'. Cuius libri specimen programme a. 1848 Tremoniensi iam antea divulgaverat. Edidisse autem se hoc glossarium praef. p. X narrat eo consilio, ut monstraret, qua ratione latina glossaria colligenda, redigenda, emendanda, edenda ipse censeret. Qua in re rectam eum viam inisse negabit qui adnotationum plerumque inutilium et coniecturarum minime probabilium molem paulo diligentius perlustraverit (Loewe Prodr. p. 87 sq.). Eundem virum iam a. 1845 libri glossarum particulam codicis ut videtur Halberstadiensis ab *aq* usque ad *ar* pertinentium edidisse Loewe Prodr. p. 234 monuit.

Isdem autem temporibus quibus Oehler et Hildebrand glossis operam navaverunt, etiam alii docti hunc campum attigerunt. Fragmenta Portensia libri glossarum saeculo X scripta et ad litteras *a—e* et *r—v* pertinentia descripsit et inde excerpta protulit C. R. Fickert programme Portensi a. 1843 (post quem G. Becker in Nov. Annal. a. 1863 p. 643 pauca ex eodem fonte hausta prompsit). Cf. Loewe Prodr. p. 233 sq. Duo folia codicis cuiusdam Cizensis a *citr—* usque ad *clod—* pertinentia Peter programme Cizensis a. 1850 ('Glossarii fragmentum, nebst Einleitung') tractavit (cf. Hildebrand Muetzells Zschr. 1853 p. 127 sqq.). — Anno 1387 C. S. Theodorus Bernd in commentatione Musei Rhen. tomo quinto inserta de fragmento Coloniensi (cf. II p. 561 sqq.) disputavit; aliquot annis antea (1832) 'Dosithei Magistri Interpretamentorum' librum tertium Boecking publicaverat; anno 1843 fragmentorum Helmstadiensium memoriam renovavit (Mus. Rhen. vol. II p. 639 sq.) Mauricius Haupt. Anno autem 1854 Ferdinandus Deycks in indice lectionum Monasteriensi fragmentum gravissimum glossarii Amploniani tertii proposuit (cf. II praef. p. XLIII). Nec indigna esse quae hoc loco commemorentur Quicherati 'Addenda lexicis latinis' moneo, quem multa ex duobus glossariis, altero bibliothecae nationalis Parisinae 7640 (cf. IV praef. p. XXXIV), S. Genovevae (C. C. l. 2 fol. saec. XII; cf. p. 184 huius voluminis)

altero deprompsisse ipse praef. p. IX exposuit. Ex quibus omnibus — possum, si tanti erit, alia opuscula nonnulla addere — satis apparere existimo, quantopere veteres glossae paullatim denuo oculos in se convertere coeperint. Sed omnibus viris doctis illius temporis de tota hac provincia illustranda melius Fridericus Ritschl eiusque discipuli quidam meriti sunt.

Iam ante quam docta commentatio de Placido ('Zur lateinischen Glossographie' Mus. Rhen. vol. XXV p. 456 sqq. = Opusc. III p. 55 sqq.) edita est, Fridericum Ritschl, tum Bonnensis universitatis decus, discipulorum optimorum operam et industriam ad haec studia impulsisse testes sunt Hermannus Vsener, Augustus Wilmanns, Franciscus Buecheler, Iosephus Klein, Hermannus Kettner, Otto Ribbeck, H. A. Koch, Henricus Keil, Hermannus Hagen, alii. Anno enim 1869 prodiit Vseneri commentatio egregia de libro glossarum scripta (Mus. Rhen. t. XXIV p. 382 sqq. = Kl. Schr. II p. 242 sqq.), quaecum coniungenda sunt quae Wilmanns ibidem p. 363 sqq. protulerat. Atque Wilmanns cum inprimis Romanis codicibus usus esset, Vsener multa ex codicibus Bernensibus hausit, quos facile inspicere potuit. Haud pauca quae excerpserat Loewio dedit, is mihi postea reliquit una cum excerptis Francisci Buecheleri ex eisdem fontibus desumptis. Pseudophiloxeni glossas idem Vsener iam antea locis quibusdam Plautinis feliciter adhibuerat; de eisdem glossis Iosephus Klein paucis egit Mus. Rhen. t. XXIV p. 289 sqq. Horum numero accessit Hermannus Kettner programme quod inscribitur 'Kritische Bemerkungen zu Varro und lateinischen Glossaren' (edito Halis a. 1868). Novo autem modo haec studia effloruerunt post egregiam Ritschेलii commentationem de Placido scriptam, etiamsi quas aggressus erat quaestiones non omni ex parte ad finem adduxit. Iterum mox ad haec studia se accinxit Kettner primum commentatione 'Zu den Glossae Placidi' Hermae vol. VI edita p. 165 sqq. tum libello 'Zur Kritik der glossae Placidi' inscripto (Berolini a. 1872). Cui sese adiunxit cum H. A. Koch Mus. Rhen. XXVI (a. 1871) p. 549 sqq. tum Buecheler velut Fleckeiseni Annal. 105 (1872) p. 567. Neque silentio praetereunda sunt quae Ribbeck a. 1873 in Corollario Comicorum alteri editioni praemisso de glossis ad fontes suos revocandis acri studio, sed hic illic confidentiore iudicio exposuit. Ceterum hoc loco monendum erit etiam iureconsultos haec studia, quae iam Boecking feliciter tractaverat, ne nunc quidem sprevisse: anno enim 1865 commentatio prodiit Rudorffii de glossariis bilinguibus Philoxeni qui dicitur et Cyrilli, de qua vol. II praef. p. VII et huius vol. p. 32 paucis egi, quem consentaneum est inprimis iureconsultorum desideriis obsecutum esse. Etiam qui curam

suam grammaticis latinis impenderunt, non semel glossaria attigerunt, velut Keil in programmatis aliquot Halensibus, idem in primo, quarto, septimo Grammaticorum latinorum voluminibus, praeter ceteros autem Hermannus Hagen, qui in Anecdotorum Helveticorum volumine de libro glossarum, de differentiis, aliis partibus horum studiorum bene meritus est. Idem porro disputationibus nonnullis de Placido et glossariis bilinguibus institutis, deinde 'Gradu ad criticen', denique in appendice editionis Servii quaestiones glossematicas tractavit atque promovit; nec obliviscendum erit, quantopere catalogo suo codicum Bernensium nostram rem adiuverit. Praeter hos quos dixi viros etiam Hauptii merita commemoranda sunt, qui haud paucas glossas bilingues tractavit et colloquia scholastica quaedam scite emendavit (cf. quae in Opusculis de hac re leguntur). Huic addendi sunt A. Boucherie, cui III praef. p. XVII et XXVI aliisque locis debitum honorem habui et tribui, Beck qui de differentiarum scriptoribus docte disputavit, G. M. Thomas (de quo cf. p. 184), C. Hofmann (cf. p. 184), Antonius Miller (Zeitschr. f. bay. Gymn. VI 1870 p. 295 sqq.), multi alii quorum nomina et merita in praefationibus vel in Thesauro glossarum emendatarum attuli. Nec debito honore defraudandus est Vincentius de Vit, seminarii Patavini alumnus, qui vestigia Forcellinii et Furlanetti premens in glossario quod totius Latinitatis lexicum sexto volumini (p. 463—780) adiecit magnam copiam glossarum ex fontibus quos praef. vol. I p. CCXLIV sqq. breviter enumeravit haustarum succincta adnotatione ex Maii, Oehlerii, Hildebrandi, Loewii, aliorum libris petita suisque additamentis aliquot aucta ornatam laudabili cura proposuit. Quam farraginem, cuius rationem eiusdem praefationis p. CXVI sqq. uberius persecutus est auctor, nos rarius diserte attulimus quam reapse inspeximus: de plurimis nunc rectius iudicari posse non est quod fusius hoc loco moneamus. Agmen scriptorum illius temporis de glossis latinis bene meritorum claudat A. Deuerling, Placidearum glossarum editor, de cuius viri opusculis huc pertinentibus quinti voluminis praef. p. XIII et XX disputavimus. Censuram editionis bonae frugis plenissimam scripsit Gustavus Loewe GL. Nom. p. 77 sqq., qui illis ipsis annis ad Corpus glossariorum dudum exspectatum praeparandum feliciter adgressus est.

CAPVT XXIV.

DE STVDIIS GLOSSOGRAPHICIS RECENTISSIMIS

§ 64. Anno 1875 inter dissertationes Lipsienses prodiit 'Quaestionum de glossariorum latinorum fontibus et usu particula' composita

a Gustavo Loewe Grimensi, qui iam ante hunc annum minutulis aliquot disputationibus doctorum oculos in se converterat. Atque 'Quaestiones' illae priorem partem continent libri notissimi qui est 'Prodromus corporis glossariorum latinorum', scripti Lipsiae annis 1873—1875, aucti Mediolani, qua in urbe contextum prelo submitendum iterata cura auctor retractavit (cf. quae Bursiani annal. a. 1884 de vita amici carissimi diximus); quo quidem libro via Corporis glossariorum latinorum condendi non modo feliciter monstrata, sed etiam munita est egregio successu: quam nos quoque, qui sex corporis voluminibus primum nunc praeponomus et ultimum, studiose sumus ingressi. 'Prodromi' autem materiem triplicem esse voluit scriptor: agitur enim capite primo de glossariis latinis generatim, tum de Isidori glossis; praeterea de glossis Leidensibus, Romanis, Bernensibus, Amplo-nianis, al. de Placidi glossis, de libro glossarum, de glossis latinograecis, de glossis graecolatinis cet.; capite secundo de glossis Plautinis Lucilianisque; capite tertio de novis vocibus et formis e glossariis eruendis per saturam. Censuras huius libri optimi scripserunt cum alii tum Aemilius Baehrens, qui multa quae itineribus suis collegerat cum Loewio communicaverat (cf. Jenaer Literaturz. 1877 p. 154—156), Hermannus Roensch de Vulgata quae dicitur optime meritis (L. Centralbl. 1877 p. 694—697), Hermannus Hagen quem supra commemoravimus (Bursians Jahresbericht a. 1876 p. 338—351), J. N. Ott (Fleckeiseni Annal. 1878 p. 417—427), E. Ludwig (Zeitschr. f. rom. Phil. III p. 109—112), B. Kruczkiewicz (Zeitschr. f. östr. Gymn. 1879 p. 629—634), debitas laudes et acumini et doctrinae scriptoris tribuentes. 'Nicht nur der erstaunliche Fleiß' — verba sunt Hageni p. 339 — 'mit welchem Loewe das vorhandene Glossenmaterial durchforscht hat, sowie seine streng wissenschaftliche Methode erfüllen den Leser mit lebhafter Anerkennung: nein, vor allem ist es die reiche Fülle von Belehrung über bisher fast gar nicht oder doch höchstens ganz mangelhaft gekannte Materien, welche uns freudige Bewunderung und rückhaltlose Dankbarkeit abnötigen . . . Dank aber vor allem den Manen unseres unvergeßlichen Altmeisters Friedrich Ritschl, durch dessen Anregung diese schon seit vielen Jahrhunderten lebhaft gewünschten, aber noch nie bisher ernstlich in Angriff genommenen Studien frisch und freudig aufgeblüht sind! Es war so selbstverständlich, daß Loewe gerade ihm dieses Buch weihte, gerade noch früh genug, um seine letzten Stunden zu erhellen.' Quod quam vere dixerit, ex Ribbeckii verbis (de vita Friderici Ritschelii p. 453) discimus. Eodem ardore quo impulsus ad haec studia accesserat Loewe, annis quae 'Prodromi' editionem secantur proximis bibliothecas Italiae pervestigavit, inprimis

Ambrosianam, Vaticanam, Cassinensem, Neapolitanam, Laurentianam, sed ut alias minime neglegeret, mox etiam thesauros Hispaniae adiit, in quam terram iussu academiae imperialis Vindobonensis se contulerat, ut catalogum codicum manuscriptorum ad patres latinos pertinentem componeret; ibique modo apographa modo excerpta confecit, prout res exigere videbatur: ex quo itinere demum anno 1879 in patriam rediit. Interim opuscula quaedam minora prodierant, quae collecta nunc in appendice leguntur 'Glossarum Nominum', quas ille felici conatu emendare aggressus ne ipse proponeret cum morte flebili impeditus esset ego post illum pertractavi atque edidi. Etenim optimi amici voluntate provisum erat, ut quae infinito labore confecerat excerpta apographa collectanea in meas manus pervenirent. Non sine cunctatione opus tanto successu incubatum, quod ille moriens mihi reliquerat, suscepi; deterrebat enim oneris ipsa magnitudo, retinebant officia antea mihi iniuncta eaque gravissima: sed cum multi monerent, ne paterer spes a Loewio excitatas denuo concidere, augeretque animum iuvenilis studiorum ardor, vestigia magnorum virorum non semel infelicitate temptata ingredi ausus partem meae vitae non levissimam Corpori glossariorum latinorum condendo dedicavi. Quo in negotio cum mox perspexissem Loewii collectanea eo potissimum consilio facta esse, ut quae inprimis notabilia esse in hoc genere litterarum viderentur oculosque et animos maxime allicerent quasi expiscando comprehenderet, ipsi autem editioni satisfacere non posse, de incepto desperassem, nisi Gottholdus Gundermann suam operam cum mea coniunxisset et per aliquot annos in Italia, Britannia, Parisiis peregrinatus talia excerpta et apographa a me factis adiecisset, quibus confidenter pro fundamento uti possem: quo in labore societatis litterarum Regiae Saxonicae Lipsiensis quae iam Loewii studia nascentia^a et progressa benigne fovebat, liberalitas et auctoritas me numquam adiuvare destitit. Atque Hermeneumata Pseudodositheana quae dicuntur spes me tenuerat fore ut opera Caroli Krumbacher, qui 'de codicibus quibus interpretamenta Pseudodositheana vobis tradita sunt' optime egerat (Monachii a. 1883), tractarentur: sed mox cum aliis districtus laboribus hunc se subire posse praefracte negasset, illam spem invitus abicci et necessitati serviendum esse censui. Neque vero unica molestia in eo posita fuit, ut materies in bibliothecis Europae dispersa vestigaretur atque colligetur: vix minorem difficultatem ipsa ratio quam instituerem editionis mihi exhibuit. Neque enim potui viam sequi quam olim Scaliger commendaverat, ut quasi corpus glossarum notabiliorum condere satis haberem ad ordinem litterarum illud revocatum: nam multum ponderis sedes glossarum habere visa est saepissime ac vicinitas, quam si dele-

vissem non semel optimum emendationis fundamentum abiecissem: quae de re conferenda sunt quae olim (Berichte über die Verhandl. d. K. S. Ges. d. W. 1888 p. 229 sqq.) exposui. Emendationem ipsam glossario generali sexti et septimi voluminum reservavi: de rationibus cur noluerim simul cum ipsa editione emendationem coniungere ibidem p. 233 sic disputavi: '1. Da das Fundament der Emendation in zahlreichen Fällen durch Parallelglossen geboten wird, diese aber nirgends publiziert sind, so hätte bei einer Behandlung der Glossen nach Maßgabe der Autorentexte die adnotatio wenigstens in den ersten Bänden in einem Grade belastet werden müssen, daß das ganze Werk noch einmal so umfangreich geworden wäre. 2. Da die richtige Form in zahlreichen Fällen durch Konjekturen gefunden werden muß, die Probabilität der Konjekturen aber eine relative ist, so wäre voraussichtlich der Text im Laufe der Zeit bald antiquiert worden, ohne daß an einen Wiederabdruck gedacht werden könnte. 3. Eine sofortige Gestaltung des Textes hätte zur Voraussetzung, daß man in jedem einzelnen Falle das ganze Material vollständig übersehen könnte. Das ist nun bei einem gedruckten Texte nicht sonderlich schwer; wie es bei dem in Hunderten von Heften vorliegenden Materiale möglich werden sollte, war ein Problem, demgegenüber die Zuversicht keine große war. Und doch galt es wenn irgendwo, so bei dieser Aufgabe, das Mögliche beherzt sogleich beim Schopfe zu fassen, um den Erfolg einigermaßen zu sichern. 4. Wenn man aber auch von allen diesen Schwierigkeiten und Mißständen absehen wollte, so wäre am Schlusse der Edition doch noch ein sorgfältiger Generalindex nötig geworden, falls man nicht den Benutzern unsägliche Mühe hätte auflegen wollen.' — Novam autem difficultatem procreavit glossariorum mere latinorum infinita copia: quam si editione complecti voluissem, ingentem tomorum numerum implere debui. Quod facere neque potui nec res postulare visa est. Triplex enim horum glossariorum genus ad nos propagatum est. Quorum primum ea glossaria continet, quae orta sunt saeculis septimo octavo nono maiore affinitate non cohaerentia et a diversis auctoribus in eam quam nunc ostendunt formam redacta. Talia non excerpenda, sed integra proponenda fuerunt, ut quasi pro fundamento essent. Hoc in genere pono glossas codicum Vaticani 3321 et Sangallensis 912, glossas 'Abavus' brevioris memoriae et 'Ab absens', glossas Vergilianas et 'Affatim', alia quaedam opuscula. Ab his porro vel horum similibus glossariis nunc deperditis pendent alio glossaria non materie, sed forma et ordine discrepantia, quo in numera sunt glossae 'Abactor', de quibus praef. IV p. XXXIX sqq. disputavi. Qualia glossaria si edidissem, verendum fuit ne inutilium rerum molem cumulare futtilem: nam si quid in his inerit quod ex illis primariis

fontibus explicari non possit, id aut pusillam auctoritatem habet aut ex aliis fontibus notum fit. Talia igitur excludenda fuerunt. Iam vero etiam tertium glossariorum genus exstare sciendum est, quorum materia cum aliis quidem glossariis notis coniuncta est, sed aucta ex fontibus nunc certe deperditis novo ordine glossarum constituto et pristina dispositione abiecta, ut sunt glossae 'Aa' quinti voluminis. De his edendis diu incertus haesi. Cum tamen a me impetrare non potuerim, ut denuo proponerem ingentem numerum glossarum ex parte iam plus quam semel editarum, praesertim quarum pristinus ordo funditus deletus esset, notabiliores glossas quae per se aliquam utilitatem habere posse videntur, excerpsti, excerptas omni cura edidi. Quarto igitur et quinto voluminibus medullam glossariorum mere latinorum me proposuisse confido. Nec fuit cur me rationis institutae paeniteret. Quotiescumque enim ad singula glossaria redeundi occasio fuit, me rectam viam ingressum esse denuo perspexisse mihi visus sum. Quo in labore etsi illud imprimis spectavi, ut quae ad vetustiore aetate pertinere viderentur, primo in loco ponerem, tamen ne mediae quidem quae dicitur latinitatis studiis me negavi et multa protuli quae horum utilitati inservirent. Qua in re si quid desiderabitur, aptari onus viribus debuisse nec plus occupari quam cui sufficere possem habeo cur moneam. Nec possum reticere peritos aliquot harum quaestionum iudices meas rationes non modo publice, sed etiam per epistulas in universon probasse: quo in numero Franciscum Buecheler commemoro, qui quantopere me in emendandis glossis iuverit Thesaurus glossarum emendatarum satis ostendit, et post illum Franciscum Skutsch praematura morte nostris litteris ereptum: nec tacendus erit Ludovicus Traube, quo qui altius in studia medii aevi penetraverit non invenio, ad quem postea accessit Fridericus Kluge, saxonicarum glossarum doctus interpret et germanicarum vocum quae latinum habitum induerunt perscrutator subtilissimus, qui mihi glossariis nonnullis ex quibus excerpta exhibere satis esse duxi denuo perlustratis rescripsit se in meis excerptis nihil aut paene nihil quod bonae frugis esset desiderare. Quamquam minime nego me hoc vel illud fugere potuisse: quis enim putabit se in excerptendis vastis corporibus quid quaeque glossa docere possit quid non, quid utile quid inutile sit statim perspicere posse? Sed adiuvit me experientia diutina exercitatione in dies aucta, firmavit spes fore ut siquid me fugisset in uno glossario idem ex alio excerptis meis esse accessurum, sustinuit quaedam confidentia similibus conatibus qui prospere cesserant nutrita, sine qua hunc laborem taedii plenissimum ad finem perducere omnino non potui. Verum enimvero etiam reprehensores mihi ortos esse moneo, in his virum cuius auctoritatem per se magnam esse in hoc lit-

terarum genere lubens concedo, Eliam Steinmeyer Erlangensem, palaeotheodiscarum glossarum sospitorem doctissimum; cui quod satisfacere non potui vehementer et commotus et miratus sum. Quamquam quae in praefatione tertii sui voluminis de subsidiorum meorum criticorum fundamentis protulit aut falsa sunt aut ita comparata, ut planum sit virum in aliis rebus circumspiciendum meum et meorum sociorum laborem modulis suae editionis mensum alienarum rationum necessariam diversitatem aut non perspexisse aut certe neglexisse. Quae idem de consiliis meis ausus est pronuntiare immemor eorum quae ipse sex annis antea non uno loco exposueram vix vereor ne ab arbitris harum rerum candidis probentur: censori enim mei operis tam iniusto contingere non potuit, ut rationes diutinae cogitationi oblatas et ex materiae natura enatas levi ut aiunt brachio subverteret. — In Thesauro glossarum emendatarum condendo, qui infinitam mihi operam imposuit et saepe me coegit eodem die ingentem numerum glossarum examinare suoque loco inserere, quod mihi non semper omnes emendationis rationes verae, non omnia fundamenta, ut quae paulatim demum emergerint, saepe post meam operam nec sine mea opera inventa, non omnes fontes praesto fuerunt, excusabant qui totius rei difficultatem perspexerunt: quo acceptiora mihi fuerunt atque gratiora quaecumque viri docti ad meum laborem corrigendum vel supplendum attulerunt. Quod Gundermanni nomen in secundi tantum voluminis inscriptione meo nomini adieci, in ceteris non item, inde non sequitur illius operam in his voluminibus mihi defuisse: quod longe aliter se habere praefationibus quotquot sunt professus sum. Atque repetenda duxi verba quae in fine quarti voluminis posui: 'sane eodem iure etiam in his glossis edendis opera et nomina coniungere potuimus: nisi melius visum esset atque utilius, unius auctoritate et arbitrio gubernari omnia'. In septimi voluminis parte altera Guilelmus Heraeus indicem graeco latinum, item anglo saxonum adiecit, sine quo usui recte inservire glossae bilingues vix possunt. Eundem virum mecum coniunctissimum ut de singulis quibusdam rebus, velut glossis Petronianis, de Probi quae dicitur appendice, de notis Tironianis ita de emendatione glossarum Thesauro glossarum comprehensarum optime meritum esse alio loco professus sum. Illis viris doctissimis accessit Paulus Wessner meus, cui haud pauca apographa omni cura confecta debeo: sed etiam commentationibus suis diligenter compositis, ut de Fulgentii glossis, de Iuvenalis scholiorum in glossis vestigiis, de Isidoro optimo successu disputavit, denique in Bursiani annalibus ut de grammaticis rebus in universum ita de his studiis diligenter et perquam utiliter rettulit. De fontibus glossarum investigandis me multa debere Ottoni B. Schlutter et in sexti

voluminis praef. p. VII, item huius voluminis p. 151, ut alios locos mittam, commemoravi: qui vir doctissimus quamvis glossaria inprimis vocibus saxonice ornata sibi tractanda proposuisset, tamen ne aliis quidem neglectis de toto hoc litterarum genere optime meritus est. His adiutoribus benevolentissimis addendi sunt amici, quibus in singulis singulorum voluminum praefationibus meritas rettuli gratias.

Praeter hos qui me in condendo Corpore glossarum iuverunt viros doctissimos non possum tacere nomina eorum qui ab eodem Corpore profecti quaestionibus singularibus laudabilem operam dederunt. Atque inprimis afferendi sunt scriptores qui in Archivio Woelffliniano disputationes modo uberiores modo minores publicaverunt, quo in numero sunt Landgraf, Sonny, Stadler, alii non pauci; his addendi Thesauri magni conditores et administri, qui a suis copiis plenissimis profecti multa quae mihi obscura visa erant optime illustrarunt; tertio in loco ponendi sunt quicumque sive commentationibus libellisque his ipsis quaestionibus destinatis sive occasione oblata problemata glossematica attigerunt. E Germanorum doctorum numero laudandus est praeter eos quos iam attuli I. M. Stowasser, qui quantopere in hoc litterarum genere versatus fuerit, etiam ex epistularum commercio mihi acceptissimo quo cum illo coniunctus fui didici: quem ut saepius ingenii ubertate abusum et impetu animi abreptum a vera ratione vagatum esse non possum negare, ita lubenti animo concedo multa scite emendasse, obscura egregio acumine illustrasse, fontes feliciter indagasse. In Helvetia Maximilianus Niedermann haud pauca docte et subtiliter tractavit cum alibi tum in libello hoc: *Contributions à la critique et à l'explication des gloses latines* (Neuchâtel a. 1905).¹⁾ Inter Franco-gallos praeter ceteros Henricum Omont commemoro, cuius erga haec mea studia propensam voluntatem in subsidiis criticis conquirendis expertum me esse grato animo in praefationibus professus sum: idem etiam commentationibus aliquot egregia cura compositis quas suo loco attuli laudem sibi peperit. Inter Italos non tacendus erit Carolus Pascal: cf. *Letteratura Latina medievale* ed. Cataniae a. 1909 p. 191 sqq., ut alia mittam. Huic accedit Ambrosius Amelli O. S. B., qui de codicibus Montis Cassini optime disputavit et Pauli Diaconi studia egregie illustravit: idem me et Gundermannum olim Cassini versantes benevola opera adiuvit. Ex Britannorum numero glossaria tractaverunt

1) His nunc addendus est praeter alia libellus 'Essais d'Etymologie et de Critique verbale latines' (Recueil de Travaux publiés par la Faculté des Lettres sous les auspices de la Société académique. Paris et Neuchâtel 1918), quo codicis Vaticani 1260 portenta aliquot edomuit et glossas quasdam ad Vegetium feliciter rettulit.

I. L. G. Mowat (cf. p. 252, 253), Nettleship, litteris latinis praematura morte ereptus (cf. inprimis 'Notes on the Vatican Glossary 3321' in 'Journal of Phil.' vol. XX et eiusdem 'Contributions to Latin lexicography'), Ellis (cf. p. 166 et eiusdem scholia Sidoniana in *Anecd. Ox.* vol. I p. V a. 1885 p. 28 sqq., de quibus pauca protuli in *Meletem. Fest.* p. VIII; etiam in commentario Catulli saepe glossas adscivit), Lindsay, qui quicquid itineribus suis novi in hoc genere invenerat, benigne mihi indicavit.¹⁾ His addendi Rutheni A. Maleyn (cf. p. 155) et praeter ceteros Michael Pokrowsky, horum studiorum amicus scitissimus et humanissimus, quocum multa olim quotannis temporibus aestivis solito more Ienae commorante de his quaestionibus et aliis quibusdam agere consueveram, Americani Minton Warren, auditor olim Lipsiensis, glossarum Sangallensium editor doctissimus, de quo libello p. 126 paucis egi, Iohn M. Burnam, qui 'Glossemata de Prudentio' anno 1905 publici iuris fecit. His accedit Carolus Theander e gente Suecorum, cuius librum p. 145 attuli.

Praeter hos viros doctissimos, quorum opera inprimis in latinis et graecis litteris et verbis tractandis versata est, studia virorum qui de germanicis, anglicis, romanicis, hibernicis litteris quaerentes glossaria recentiora diversi generis aut ex illis aut eorum imitatione procreata perscrutati sunt, collegerunt, illustraverunt, non praetermittenda fuerant. Glossae palaeotheodiscae, quas post Graffii curas gravissimas quattuor voluminibus una cum Eduardo Sievers singulari successu complexus est Elias Steinmeyer, professor Erlangensis, quot modis coniunctae sint cum glossis vetustioribus latinis graecolatinis latinograecis plurimis locis dixi: ex quo opere non solum de singulis glossis modo emendandis modo explicandis, sed etiam de quaestionibus ad fontes et compositionem glossariorum quorundam pertinentibus me multa didicisse lubens fateor; quartum inprimis volumen, quo de codicibus adhibitis egregia fide et diligentia disputatum est, etiam qui latinorum glossariorum fontes et fata persequuntur iterum iterumque habebunt cur evolvant. Ceterum ex hoc thesauro inprimis ea glossaria mihi adeunda fuisse quae primo volumine continentur res ipsa docet. Lexicon vocabulorum palaeotheodiscorum quod Steinmeyer promisit nondum editum est. De origine glossariorum quorundam principalium, de ratione qua inter se cohaereant, de sedibus studiorum quibus hoc litte-

1) Haec dudum scripseram. Anno demum 1919 adlatae sunt ad me ipsius et discipulorum eius commentationes plurimae et optimae de multis quaestionibus a me quoque tractatis, quarum in contextu meo dudum typothetae tradito cum rationem habere non potuerim, in 'Addendis', ne quid desideretur, curabitur.

rarum genus excultum est, non sine fructu librum doctissimum Rudolphi Koegel de litteris Germanorum adii.¹⁾ De singulis glossis plurimis Fridericus Kluge vestigia Cangii secutus famosissima dum vocabula theodisca tractat saepe felicissimo successu ac ne latina quidem forma neglecta disputavit.

Glossae palaeoanglicae quam arto vinculo cum latinis glossariis e quibus pendent cohaereant non est cur pluribus verbis persequar, praesertim cum iam p. 150 sqq. hanc quaestionem tetigerim. Saepe igitur collectionem quam Wright et Wuelcker proposuerunt nec plenam nec satis emendatam propter indicem potissimum posterioris voluminis adii. Nec Sweetii editiones neglexi, quamvis cum totus in grammatica esset editoris officio minus satisfecerit. Cui qui grammatica quidem doctrina inferior, artis palaeographicae usu et diligentia superior fuit, Otto B. Schlutter, non modo libros manuscriptos meliore successu exhaustit multosque locos feliciter emendavit, sed etiam lemmata glossarum ad fontes suos revocare incredibili labore studuit. Qua re nec adversariorum vituperatio nec ingenii impetus cui saepius succubuit me prohibere potuerunt quominus in Thesauro inprimis glossarum emendatarum eius inventis plurimis locis grato animo uterem. Editioni glossarum Epinalensium p. 151 omnem laudem tribui. His viris doctissimis qui nunc accessit Maximilianus Foerster de singularibus quibusdam quaestionibus solvendis optime meritus est. Libros Napierii, Hesselsii, Gloggeri, Gruberi me diligenter consuluisse ex eis quae suo loco dixi apparebit.

Ex Romanicarum linguarum perscrutatoribus qui non obiter sed peculiari cura haec arva coluerunt quattuor viros prae ceteris eminare moneo: quorum agmen qui ducit Hugo Schuchardt vestigia Diezii faustissima ingressus cum iam in libro de latinitate vulgari scripto quantum luminis ex glossariis quaestionibus grammaticis offunderetur egregie docuisset, etiam post corpus glossariorum editum studia resuscitata disputationibus doctrinae et acuminis plenis non uno loco ornavit. Quem qui sequitur Wendelinus Foerster non modo singulares quaestiones quasdam arte et doctrina tractavit, ut saepius attuli, verum etiam in libro exercitationibus Romanicis destinato (Altfranz. Übungsbuch von W. Foerster und E. Koschwitz. Fünfte Auflage, besorgt von W. Foerster 1915) excerpta ex aliquot glossariis (ut Augiensi, Cassellano, Turonensi, Parisino, Londinensi, aliis) praemisso virorum doctorum disquisitionum indice et additis adnotationibus ut brevi-

1) Nunc conferenda esse moneo quae G. Ehrismann (Geschichte der d. Lit. bis zum Ausgang des M. A. a. 1918) Vol. I p. 242—254 exposuit: cuius libro in condenda hac praefatione nondum uti potui.

bus ita utilibus complexus est. Tertio loco laudandus est Antonius Thomas, professor Parisinus, qui dum etymologicis rationibus investigandis, item vetustioris linguae formis et fontibus intentam curam dedicat etiam latinarum glossarum copiis multis tenebris discussis egregie profuit.¹⁾ His tribus viris quartum adiungo Guilelmum Meyer-Luebke, nunc Bonnensem, olim Ienensem, qui quaestiones grammaticas potissimum saepe scitissime ex glossis illustravit nec paucas earum felici conatu explicavit, confirmavit, dubitatione liberavit. Quibus viris etiam alios addi posse minime ignoro.

Nec silentio praetereundi sunt Whitley Stokes et John Strachan, Thesauri palaeohibernici conditores doctissimi²⁾, quibus accedunt H. Zimmer³⁾ et R. Thurneysen⁴⁾: quamquam fatendum erit illas glossas ad studia Hibernica multum, ad studia glossematica latina parum valere, cum ad psalmos potissimum Paulinasque epistulas et Prisciani libros paganis scriptoribus latinis in universum neglectis pertineant. Quae cum his studiis cohaerent Hisperica famina post Maii⁵⁾, Geyeri⁶⁾, Thurneyseni⁷⁾, Stowasserii⁸⁾, Zimmeri⁹⁾ curas, de quibus paucis disputavimus 'Ber. der Königl. Sächs. Gesellschaft d. W.' a. 1896 p. 85 sqq., Francis John Henry Jenkinson Cantabrigiae a. 1908¹⁰⁾ editione nova complexus est.

CAPVT XXV. EPILOGVS

§ 65. Longum per viginti saecula iter permensi rem initio satis vilem per se et leviculam, acceptam illam a Graecis grammaticis, mox a Romanis et semiromanis doctoribus auctam multisque multi generis

1) Cf. huius viri doctissimi commentationem: 'Remarques sur trois gloses du Corpus glossariorum latinorum' (Comptes rendus des séances de l'Académie des Inscr. et Belles-Lettres 1909 p. 443): ubi simul studia sua etymologica ad quaestiones glossographicas pertinentia paucis comprehendit.

2) Cambridge 1901. 1903. 2 Vol.

3) Gloss. Hib. 1881 et Glossarum Hibern. supplementum 1886.

4) Handbuch des Altirischen. T. II: Texte mit Wörterbuch. 1909.

5) Class. Auct. V 479—500.

6) Archiv f. lat. Lexicogr. II 255 sqq.

7) Ibidem III 546; IV 341 sq. Z. f. d. Phil. 1895 p. 110 sqq.

8) Archiv f. lat. Lexicogr. III 168 sqq., Wiener Stud. IX (a. 1887) p. 309 sqq., Incerti auctoris Hisperica famina edidit et explanavit Vindob. a. 1887, Stolones lat. (1889), Zeitschr. f. östr. Gymn. 1894 p. 724.

9) Nennius vindicatus p. 291 sqq., Neue Fragmente von Hisperica famina aus Handschriften in Luxemburg u. Paris (Nachrichten d. K. Ges. d. W. in Göttingen a. 1895) p. 117 sqq.

10) Cf. M. Manitius Wochenschr. f. klass. Philol. 1909 p. 407.

rivis irrigatam, ex antiquitate denique una cum doctrina litterarum ad populos medio quod dicitur aevo florentes non Italos modo, sed etiam Gallos, Hispanos, Anglosaxones, Hibernos, Germanos propagatam et diversissimis diversorum hominum studiis accommodatam fusius tractavimus: quo in itinere cum ad litterarum latinarum sedes nobilissimas tum ad angulos etiam remotiores penetrandi fuit opportunitas. — Atque simplicis glossarum formae et praeae exempla non pauca per Varonis et Verrii libros dispersa invenimus: ad quae doctiorum hominum conamina accesserunt Aeliorum, Aurelii, Atei Philologi, aliorum, quorum scripta intercidisae dolemus. Sed etiam post illos haec studia apud magistellos et grammaticos vixerunt, quorum tenuior memoria nobis relicta est. Ab Italis haec res ad alias gentes migravit, ad Afros imprimis, qua terra nulla frequentiora glossariorum vestigia exhibet: testes sunt velut Apuleius, Tertullianus, Arnobius, qui orationem verbis praeis et ex glossariis desumptis exornabant. Vnde non mirum est, quod inter Afros exstiterunt cum Nonii et Placidi, qui novo honore haec studia auxerunt, tum Fulgentius, vir incredibili vaniloquentia notabilis. Glossematicae orationis exemplum luculentum praefatio anthologiae Salmasianae prodit, cuius saepius mentionem fecimus: ad quod exemplum etiam postea aliquot opuscula sunt condita. — Ex glossariis simplicioribus, ut Horatii et Vergilii, item ex doctis promptuariis Verrii vel Festi, ad quae accesserunt collectanea similia iureconsultorum et grammaticorum, eorum maxime, qui de societate graeci et latini sermonis scripserunt, lexicorum illorum bilinguorum conditores Graecos, ut nobis videtur, hausisse exposuimus. Qui ut grammaticis studiis multa debent, ita eisdem rursus materiem ad nova opuscula componenda praebuerunt. Postea vero talia in glossaria mere latina redierunt graecis modo lemmatis modo interpretamentis latine versis, cuius rei luculentissima exempla exhibent glossae nominum, de quibus § 16 disputavimus, et glossae Abavus. Omnino haec lexica bilingua ut ex optimis hausta fontibus inter *κειμήλια* huius litterarum generis referenda esse merito contendere videbimur. — Alteram partem glossarum bilinguorum, Hermeneumata illa quae Dosithei nomine falso circumferuntur, ex commercio Graecorum et Romanorum prognata Graecorum grammaticorum studiis originem debere quomodocumque de auctoribus horum opusculorum iudicabimus certum est. Quae hermeneumata a glossariis quae proprie dicuntur et argumento et compositione diversa, nisi quod capitulis et praefationibus parva lexica subiciuntur ex materie hermeneutica detorta, medio demum aevo cum ipsis glossariis confusa et contaminata sunt. Sui generis quae sunt hermeneumata medicobotanica, partim e scriptoribus medicis derivata;

ut e Cassio Felice, partim ex Pseudapulei herbario similibusque libris excerpta et vario modo aucta magis artis medicae usum quam rationem grammaticam spectant. — His quos paucis attigimus fontibus si synonymorum et differentiarum collectiones addideris, quales cum a vetustis temporibus in usum potissimum artis rhetoricae componi coeptae essent, ultimis antiquitatis temporibus per omnes studiorum sedes diffundebantur, si denique tractatus grammaticos adieceris et scholia glossasque inter versus adscriptas ad eos qui legerent adiuvandos, quales codices Terentii, Vergilii, Horatii aliorum continent, medullam materiae glossematicae ex antiquis fontibus derivatae comprehendisse videberis. Ex his autem glossaria vetustiora saeculis potissimum a sexto ad octavum contexta et per bibliothecas Europae dispersa sunt, quorum partem potiore nos quarto huius operis et quinto voluminibus complexi sumus. — Sexto enim saeculo cum coepisset Cassiodorus monachorum animos ad litterarum studia revocare, quanto successu homines religiosi Sancti Benedicti regulae obsecuti praeter officia ordinis propria etiam studiis latinis operam dederint notum est. Qualia studia a Monte Cassino in Britanniam et Hiberniam transmigrarunt: unde in Galliam, Hispaniam, Germaniam sunt translata. Atque mox novae litterarum studiorumque sedes effloruerunt nobilissimae, ut Bobienses, Sancti Galli, Fuldensis, Augiensis, Floriacensis, aliae; nec mirabimur, quod studiorum ratio reapse affinitate quadam et similitudine coniuncta ad gentium et locorum diversitatem necessariam consulto accommodata est. Velut Anglosaxones vocabula Saxonica immiscuerunt et saxonicos scriptores tractaverunt, monachi Sangallenses Germanorum rationem habuerunt. Sed noli sperare fieri posse, ut indicii verborum et rerum adhibitis quae in ipsis glossariis exstant et in rationibus palaeographicis vestigia Ludovici Traube diligenter ingressi singula monumenta ad suam quodque quasi patriam revocemus: nam haec spes te fallit. Doctiores nimirum monachi saepe sedes mutabant, libri autem foras commodabantur, unde apographa ab aliis conficerentur suum in usum: ut facilius de patria huius vel illius apographi iudicare quam de ipso glossario quicquam adfirmare liceat. Quamquam, ut uno utar exemplo, Cassinensia glossaria suum colorem habent, quo ab aliis opera non ita magna distingui posse videantur. Quomodo autem glossaria nasci certe potuerint, §§ 27—29 edocui. Quem usum habuerint qui quaerent, his respondebimus, et lectioni librorum latinorum cum sacrorum tum profanorum consuluisse qui glossemata collegerunt et stilo excolendo et exornando materiem idoneam praebuisse. Cf. ea quae p. 270 exposui. — Ab octavo saeculo docti magna rerum et verborum corpora con-

dere coeperunt: qualia corpora etiam eis quae insecuta sunt saeculis quinque vel sex invicem se exceperunt. Ex quibus corporibus quod tempore primum fuit auctoritate vincit omnia: nempe liber glossarum, qui per multos rivos ad plurima volumina novicia diductus est: cuius libri fata capitibus X et XIV persecuti sumus. Ansileubum episcopum Gothorum fuisse auctorem cur non audeam contendere supra exposui. At qui secuntur viri docti nomen suum ignotum esse non passi sunt: Salomo, episcopus Constantiensis, Papias Lombardus, post hos derivationum auctores Osbernus Glocestriensis, Hugucio Pisanus, denique Iohannes Ianuensis, quorum opera vasta etiam nunc exstant. Praeter horum virorum volumina etiam alia conamina notabilia sunt, ut illud, cuius rationem una cum glossarii magni fragmentis Monacensibus quarti voluminis p. XIII tractavimus: 'cuius haec fuit indoles, ut compluria glossaria litterarum ordine servato contaminata exhiberentur, fontes autem semper in margine litteris maiusculis adscriptis (velut A, E, I, L, M, S, T, V) indicarentur.' Multis horum corporum cum Priscianum tum derivationes inde a duodecimo saeculo vulgatissimas materiem non minimam contribuisse ostendimus. — Homines autem religiosos qui operam suam his studiis dedicabant Sacrae scripturae illustrandae et explicandae non levissimam curam tribuisse consentaneum esse fatebimur. Quae cura triplici ratione ostenditur: aut patrum ecclesiasticorum libros excerpserunt, velut Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Isidori, excerpta glossariis inseruerunt, aut ad similitudinem glossariorum Vergilianorum et Terentianorum glossas sacrorum librorum in alphabeti ordinem redegerunt, h. e. glossas illas veteris et novi testamenti collegerunt, multis codicibus propagatas, de quibus capite XVIII disputavimus, aut denique glossaria profana ad sacram scripturam diversis artificiiis accommodabant: cuius rei luculentissimum exemplum glossae Augienses praebent, de quibus conferantur quae p. 221 sqq. exposuimus. Ex his autem inscriptionem (*glossae veteris et novi testamenti*) etiam ad glossas 'Abavus' translatam esse intercedente fortasse illo glossario 'Abrogans' quod Keronis vel Rhabani Mauri nomine circumfertur ibidem diximus. Cum illis glossariis vetustioribus recentiorum theologorum vasta compendia aut nullo aut tenuissimo vinculo coniuncta sunt. Glossaria denique medicobotanica recentiora quae XIX capite tractavimus a Dioscuride (vel Dyascoride) latino, aucto illo additamentis ex Gargilio Martiale, Pseudapuleio, Pseudoribasio, Isidoro aliis haëstis, provenerunt. Cum Dioscuride cohaerent Vincentius Bellovacensis, Simon Ianuensis, Matthaeus Silvaticus. — De exeuntis medii aevi studiis capite XX disseruimus. Etiam hac aetate magna corpora ex libris di-

versis congeruntur vetustioribus, nova admiscentur, quae tamen minus ad antiquitatem illustrandam quam ad usum dicendi illius temporis pertinent. Ab his noviciis vocabulis si discesseris, non multa lucrabimur: nam quae restant aut trivialia sunt aut dudum nota aut denique ita comparata, ut antiquitati plus lucis debeant quam reddant. Ecce habes pergrande illud glossarium Lipsiense (p. 237), habes brevilocuquum Benthemianum Hamanni, habes vocabularia 'ex quo', gemmas, vocabularium brevilocuquum Reuchlini, alia opera eiusdem generis, donec haec studia a veteribus illis litterarum monumentis glossographiis quantumvis mutata tandem e vita remota sunt: qualia corpora qui postea adierunt, obscura vocabula et notabilia quaedam alibi non tradita rimati sunt; res ipsa vivere desierat. Vt autem qui talia digna habeant quae pervestigant uno in conspectu posita inveniant subsidia nostra infinito labore comparata et congesta Loewii, Gundermanni, Krumbacheri, meo ipsius, aliorum multorum quorum nomina attuli, indicem librorum manuscriptorum qui his septem voluminibus adhibiti vel certe commemorati sunt exhibebo: cui si additamenta quaedam adiecero ad supplenda ea quae non plene exhausisse mihi visus sum, simul autem recensum librorum manuscriptorum quorundam quos cum noverim tamen non inveni cur commemorarem, viri qui bibliothecarum thesauros pervestigant impediuntur, ne oleum et operam perdant in his libris denuo tractandis neve *χειμήλια* sibi invenisse videantur, quae nos quidem fugerint. Quamquam nostram operam novis subsidiis in lucem protractis ab aliis suppletum iri ipsi speramus.

Codices igitur his septem voluminibus allati sunt hi (quos stellula ornavi, accuratius descripti sunt): Admontinus (Stiftsbibliothek) 3 = I p. 19; p. 168. — Alcobacenses (Haenelii p. 1027) = I p. 173. — Altenburgensis (in Austria inferiore, Stiftsbibliothek) = I p. 196. — Andegavensis 266 = IV p. XXII*; I p. 100; 477 = I p. 20. — Atrebatenses 234 et 496 = I p. 191; 345 = I p. 173. — Audomarensis (St. Omer) 193 = I p. 173. — Augustonemetensis (h. e. Claromontanus) 189 = V p. XXIII. — Autissiodorenses (Auxerre) 70 = I p. 173; 78 = I p. 191.

Bambergenses (fragm.) I p. 20; P II 33 = V p. XXIII*. — Barthii fragmentum Osberni = I p. 196; Barthii codex I p. 73. — Basileensis F III 35 = I p. 192. — Beati Rhenani cod. (Pseudodos.) = III p. XXI. — Benthemianus = I p. 239. — Bernenses 1 = I p. 174; 2 = I p. 174; 16 = V p. XIII; p. XXII*; A 91 = I p. 1 adn.; p. 185; Loewe Prodr. p. 258 sqq.; A 92 = I p. 160; IV p. XIII; 178 = I p. 77; p. 89; IV p. XL*; 189 = I p. 244; II p. XVII*; 224 = I p. 140; IV p. XXX*; 236 = I p. 160; III p. XXXI; IV p. XXIX adn.; 243 = I

p. 103; 258 = I p. 78; p. 218; IV p. XXI*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXIX; p. XXXI (Petri Danielis?); p. XXXVII; 263 = I p. 147; 276 = I p. 174; p. 191; 295 = I p. 229 sqq.; 337 = I p. 53; III p. XXXIII*; 357 = I p. 184; p. 185; 358 = I p. 53; 86; 416 = I p. 102; 450 (Loiselii) I p. 44; III p. XXVIII sq.*; 519 = I p. 204; 588 = I p. 189; 688 = I p. 20; III p. XXIX. — Bobiensis Pseudodosithei III p. XXI adn. — Bonnensis 218 = I p. 74. — Bononienses (Boulogne sur mer) 182 = I p. 173; 183 = I p. 173. — Bruxellenses 1828—1830 = I p. 20; p. 184; p. 185; III p. XXVII*; p. XXXIII; 8421 = I p. 167; 10859 = I p. 138; IV p. XXXVI*.

Caesenas plut. XXI 4 = I p. 191. — Cambracensis 633 I p. 104; V p. XXII*. — Cantabrigienses Caius coll. 459 = I p. 191; colleg. Corp. Chr. 144 = I p. 151; III p. XXXIII; V p. XXVII*; Gale ms. O. 5. 34 = I p. 166; p. 186; III p. XXX*; colleg. S. Petri 2. 4. 6 = II p. XLIV*; p. 188; S. Petri O 9. 9 = I p. 191; bibl. univ. Dd II 51 = I p. 259; Ff V 34 = p. 191; Kk IV 1 = I p. 174; 979 Kk V 12 = II p. XXXI*; p. XXXIII; Ll I 2 = V p. XXXIII; Ll I 14 = I p. 93. — Carnotenses 90 = I p. 102; 299 = IV p. XXII*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXIX; 415 = I p. 191. — Caroliruhenses Aug. IC = I p. 139; p. 220; 225; CCXLVIII = I p. 221; fragm. VH = I p. 189. — Cassellani ms. Philol. fol. 11. 12 = I p. 191. — Cassinenses 69 = I p. 53; III p. XXXII*; 90 = I p. 75; p. 103; p. 146; IV p. XVIII*; V p. XX; 217 = I p. 146; IV p. XVIII*; 218 = I p. 128; IV p. XVII*; p. XVIII; V p. XXXI; 401 = IV p. XI; V p. XXVIII*; 402 = I p. 146; IV p. XIX*; V p. XXXI; 439 = IV p. VIII sq.* — Cavensis 14 = I p. 173; 189. — Cheltenhamenses Phillippsiani 1497 = I p. 259; 1716 = IV p. XXVIII*; p. XXXI; 2112 = I p. 174; 2274 = I p. 167; 4049 = I p. 186; 4626 = I p. 75; p. 166; 167; 4681 = I p. 197; 7087 = I p. 197. — Cizense fragmentum = V p. XXV. — Coloniense fragmentum I p. 46; 272; II p. XLI sqq.; archii municip. IV p. XLII. — Corsianus cod. Placidi = I p. 59; V p. VIII. — S. Crucis (Heiligenkreuz) 17 = I p. 168; III p. XIX; 804 = I p. 197.

Darmstadiensis 717 = I p. 191; 909 = I p. 173; p. 178; 2220 = I p. 242. — Diefenbachii praef. p. XIV = I p. 192. — Duacenses (Douai) 751 = I p. 173; 752 = I p. 173; 753 = I p. 174.

Einsidlenses 19 = I p. 19; III p. XX*; 32 = I p. 89; p. 99; 293 = I p. 169; 365 = I p. 169; 683 = III p. XX*; fragm. libri gloss. = V p. XXV. — Engelbergense fragmentum = V p. XXV. — Epinalensis 7 = I p. 151; V p. XXVI*. — Erfurtenses Ampl. maximae formae 10 = I p. 107; III p. XI*; p. XII; 28 = I p. 174; 42 = I p. 41; 141; 150; II p. XLII*; V p. XXVI*; in fol. 43 = I p. 196. — Escorialenses Σ I 12 = II p. XXX; p. XXXIII; Ll 15 = I p. 187.

Florentini aedil. Flor. eccles. CCXIX = II p. XXX*; Ashburnham. 63 = I p. 173; Ashburnham. 1439 = III p. XX sq.*; S. Crucis XXVII 1 = I p. 191; XXVII 5 = I p. 191; XXVII 6 = I p. 191; Laurent. XVI 5 = p. 206; XXVII 3 = I p. 174; LVII 16 = II p. XXX*; S. Marci 38 = I p. 102; IV p. XXVII*; p. XXXIII; 'acquisti 92' = II p. XXX*. — Glossarium Beati Benedicti Floriacense = III p. XV. — Folia Francofurtensia = I p. 238.

Gandavensis = I p. 173. — Gedanensis 255 = I p. 191. — Fragmentum Gottingense = I p. 45. — Fragmentum Graecianum = I p. 186. — Guelferbytanus 382 = I p. 261; 444 = I p. 192; 481 = I p. 102; 1593 = I p. 192; 2246 = p. 175.

Fragmentum Halberstadiense = V p. XXV. — Hamburgensis Placidi = I p. 59; V p. VII*; IX = V p. XXXIII. — Hannoveranus bibl. reg. IV 498 = I p. 191. — Havnienses bibl. univ. 26 = IV p. XXI*; 424 = I p. 175. — Heiligenkreuz v. S. Crucis sub C. — Fragmenta Helmstadiensia = Gottingensia = I p. 45; p. 272; II p. XXXVIII sqq.* — Fragmentum Hofmann. Osborni = I p. 196.

Fragmentum Ienense = V p. XXV.

Fragmenta Labacensia (Laibach) = I p. 138; p. 169. Cf. libri mei de libro gloss. scripti p. 253. — Codices Laudunenses 427 = I p. 173; 444 = I p. 98; II p. XXVI*; p. XXXII adn.; p. XXXVII; p. XXXVIII; 463 = I p. 78. — Leidenses bibl. publ. 3 = II p. XIX; 17 = I p. 174; 67 D = I p. 188; 67 E = I p. 73; p. 125; p. 149; IV p. X*; V p. XXXV; 67 F = I p. 72; p. 129; p. 133 sqq.; p. 139; IV p. XIX*; p. XXIX; V p. XXXV; 120 = I p. 174; 191 = I p. 128; p. 167; IV p. XVII*; XXI Burm. Q 5 = I p. 264; II p. XXXV; IV p. XXXI; Perizon. quart. 49 = III p. VII adn.; quart. 72 = II p. XXXIV*; Scalig. 25 = I p. 247*; II p. XV*; 61 = I p. 188; p. 246*; II p. XVI*; III p. XIII; V p. XXXIII; 63 = II p. XXXV*; 65 = I p. 248; orient. 231 = I p. 188; p. 271; Stephani exemplar gr. III = I p. 248; II p. XIX; 764 B 8 = II p. XIX; Vulcanii exemplar 758 B 17 = II p. XX; 758 B 18 = II p. XX; 758 B 21 = II p. XX; codices Vossiani lat. fol. 12 = I p. 191; fol. 24 = I p. 22; p. 77; p. 78; p. 160; III p. XXXI; IV p. XXXVI*; V p. XXXI; oct. 22 = I p. 247; 24 = I p. 188; fol. 26 = I p. 20; III p. XXVII; IV p. XXIX*; oct. 37 = I p. 99; p. 179; quart. 69 = 218; oct. 74 = I p. 102; IV p. XXX*; fol. 82 = I p. 131; IV p. XXIV*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXXIII; V p. XXXIV; oct. 88 = I p. 94; V p. XXXV*; miscell. lat. 1 pars 5 = II g. XIV; pars 12 = II p. XX; graec. quart. 7 = I p. 18; III p. VII sqq.* — Codex Lindenbrugii = I p. 59. — Bibliothecae Lincianae (Linz) XI 581 (S. Floriani) = I p. 196. — Lipsienses CI (Rep. II fol. 22) = I p. 237; 'Ratsbibliothek' II 8. 154 = I p. 204. — Londinenses Mus. Brit. bibl.

Reg. 15 B XIX = I p. 92; Harlei. 2355 = I p. 174; 2610 = I p. 174; p. 174 sq.; 2688 = II p. XXXIV*; 2719 = I p. 73; 2735 = V p. XXV; 2773 = II p. XXXIV*; 3826 = I p. 102; 5642 = I p. 19; III p. IX sq.*; 5792 = I p. 15; p. 34; p. 46; p. 76; p. 78; p. 81 sqq. II p. XX sqq.*; p. XXXII; Addit. 8244 = I p. 174; 8404 = I p. 174; 8874 = I p. 191; 14806 = I p. 174; 14807 = I p. 174; 15219 = I p. 167; 16585 = I p. 191; 18379 = I p. 169; IV p. XXXV; 18380 = I p. 191; 27328 = I p. 191; Arundel. 127 = I p. 191; 281 = I p. 205; 515 = I p. 191; Egerton 270 = I p. 59; V p. VIII; Lambeth. 80 = I p. 191; 120 = I p. 191; 389 = I p. 186; 481 = I p. 190; 'Old. Kings mss.' 12 B III = p. 229; 15 A XVI = I p. 167; 13 C IV = I p. 92; Sloane 284 = I p. 233; fragmentum latinograec. Londinense (Greek Pap. in the Brit. Mus. 481) = I p. 23. — Lubensis bibl. eccles. = I p. 191. — Lucensis Papiae = p. 173. — Luneburgensis bibl. urb. = I p. 191. — Luxenburgensis 1294 = I p. 196.

Codices Maihingenses Schepssii = I p. 205; II lat. I fol. 8 = I p. 192; II lat. I fol. 31 = I p. 192. — Matritenses Aemil. 25 = I p. 187; 30 = I p. 186; 44 = IV p. XXXV*; arch. hist. nat. LVI = I p. 191; bibl. nat. Reserv. — 4—7 = I p. 125¹; IV p. IX*; A 16 = I p. 93; A a 36 = I p. 191; B b 125 = I p. 174; B b 126 = I p. 174; V 191 = I p. 173 V 214 = I p. 191; bibl. reg. priv. 2 D 5 = I p. 174. — Mediolanenses Ambros. A 50 inf. = I p. 191; B 31 sup. = I p. 128; IV p. XVI*; p. XXXII; B 36 inf. = V p. XXIII*; C 82 inf. = I p. 192; C 103 inf. = I p. 75; C 243 inf. = V p. XV*; D 8 sup. = I p. 262; D 498 inf. = V p. VIII; F 60 sup. = p. 125; H 68 sup. saec. XI: cf. Loewe Prodr. p. 179; I 1 sup. = I p. 90; M 79 sup. = V p. XXVIII*. — Melc. K 51 = I p. 197. — Metensis 500 = I p. 148; V p. XXXIV*; S. Michaelis 18 = I p. 191. — Miconis gloss. (Bruxell. 10859) = I p. 167. — Modicienses (Monza) 164 = I p. 175; 229 = I p. 174. — Monacenses lat. 601 = III p. X*; 3451 = I p. 192; 4719^m = IV p. XIII*; p. XXIII; V p. XXXV; 6210 = I p. 184; 6728 = I p. 192; 7999 = I p. 169; 9680 = I p. 192; 12269 = I p. 191; 12297 = I p. 192; 13002 = I p. 19; p. 168; III p. XVII sq.*; V p. XIII; 14056 = I p. 191; p. 192; p. 195; 14168 = I p. 192; 14252 = I p. 137; IV p. XXIV*; p. XXVI; p. XXVIII; p. XXXIII; V p. XXXIV; 14388 = I p. 142 sqq. IV p. XXXVI*; 14429 = I p. 74; p. 169; V p. XIII; p. XXIII*; 14584 = I p. 196; 14804 = IV p. XXXVI*; 16190 = I p. 191; 17151 = p. 206; 17152 = I p. 168; 17153 = I p. 206; 17154 = I p. 196; 17194 = I p. 206; 17403 = I p. 168; 19411 = I p. 205; 19439 = IV p. XL sq.*; 19660 = I p. 192; 22201 = I p. 168; III p. XVIII*; V p. XIII; 23496 = I p. 169; 27317 = III p. XVIII sq.*; graec. 323 = III p. XX*; graec. 187 (fragmenta) = I p. 156 sq.; cod. lat. 18034, 18158, 18187, 18396,

18512^b = IV p. XIII; p. XIV; p. XXVIII; p. XXXI; V p. XXXV; fragmenta gloss. Sal. = I p. 168. — Fragmenta Monasteriensia (271) = I p. 41. Fragmentum Sonnenburgii I p. 150 adn. 2. — Montepesulani 38 = I p. 173; 107 = I p. 173; 108. 109 = I p. 173; H 143 = III p. XXVI*; H 152 = IV p. XXXIV*; p. XXXIX; H 160 = I p. 184; p. 185; H 302 = I p. 191; H 306 = I p. 19; p. 20; p. 87; p. 89; p. 184; p. 185; III p. XXIV*; 327 = I p. 191; H 416 = I p. 76; IV p. XXXIX*. — Morbii = V p. XXX*. — Musciacensis = I p. 107.

Neapolitani IV A 8 = I p. 14; p. 77; II p. XXXVII; V p. XXXVI; V C 31 = I p. 175; gr. II D 31 = I p. 34; II D 32 = I p. 34; II D 33 = I p. 34; II D 34 = II p. XXXI; gr. II D 35 = III p. XIX; p. XX. — Neoburgensis = I p. 137. — Norimbergensis (fragm. in mus. urbico) = I p. 189; p. 191.

Oenipontanus 711 = I p. 169. — Ortelii = V p. XXXIV. — Oxonienses Ashmol. 1396 = I p. 228; 1470 = I p. 229; Balliol. 155 = I p. 186; III p. XXX*; 298 = I p. 191; Barocc. 50 = I p. 259; 95 = I p. 259; 158 = I p. 259; Canon. misc. 201 = I p. 192; 305 = I p. 191; Digb. 151 = I p. 91; II p. XLIV adn.; Exon. 42 = I p. 191; Iun. 25 = I p. 225; 83 = I p. 75; Laud. 69 = I p. 191; miscell. 567 = III p. XXXIII; 626 = I p. 191; Lincoln. gr. 10 = I p. 259; B 37 = I p. 191; 'e Museo' 96 = I p. 191; Omn. anim. 74 = I p. 228; Regin. 321 = I p. 191; Selden. B 35 = I p. 232; Auctar. (Bodl.) T II 24 = IV p. XXXV*; gr. miscell. 113 = I p. 259.

Paderbornensis bibl. Theodor. = I p. 192. — Glossariolum bilingue Parisinum = p. 23; II p. XLI sq. (v. Add.). — Parisini bibl. nat. lat. 242 = I p. 77; 78; 346 = IV p. XXIII*; p. XXVII; p. XXVIII; p. XXXI; 521 = I p. 297; 523 = I p. 226; 1750 = I p. 91; p. 103; 2183 = I p. 76; IV p. XL*; 2320 A = II p. XXX; p. XXXIII; 2326 IV p. XXXI*; 2338 = I p. 191; 2341 = IV p. XII*; 2628 = I p. 258; 2674 = I p. 219; 2685 = I p. 74; p. 225; 3049 = III p. XX*; 4409 = I p. 148; 4481 = I p. 181; 4883 = I p. 148; 5014 = I p. 102; 6503 = III p. XII*; 6810 = I p. 92; 6823 = I p. 235; 6893 = I p. 228; 6901—6903 = I p. 228; 6905—6907 = I p. 228; 6907 A = I p. 228; 6957 = I p. 228; 6964 = I p. 228; 7056 = I p. 229; 7057 = I p. 235; 7492 = I p. 196; 7499 = I p. 16; 7501 = I p. 99 adn.; 7530 = I p. 95; p. 102; II p. XXXVII*; 7588 = I p. 92; 7598 = I p. 174; 7603 = IV p. XXXIV*; 7609 = I p. 173; 7610 = I p. 173; 7611 = I p. 173; 7612 = I p. 173; 7613 = I p. 174; 7614 = I p. 174; 7615 = I p. 174; 7616 = I p. 174; 7617 = I p. 174; 7618 = I p. 174; 7619 = I p. 174; 7620 = I p. 174; 7621 = I p. 196; 7622 = I p. 191; p. 192; 7622 A = I p. 173; 7623—7625 = I p. 191; 7625 A = I p. 191; 7625 B = I p. 191; 7625 C = I p. 191;

7625 D = I p. 191; 7626 = I p. 191; 7638 = I p. 255; 7640 = I p. 137; p. 138; p. 171; p. 272; IV p. XXXIV*; 7641 = I p. 77; 78; IV p. XXXIV*; 7642 = I p. 173; p. 186; 7643 = V p. XXV*; 7644 = V p. XXV*; 7645 = I p. 173; 7646 = V p. XXV*; 7647 A = V p. XXV*; 7651 = I p. 14; II p. VII*; 7652 = II p. XIV*; 7653 = II p. XV*; 7680 = IV p. XXXIII*; 7683 = II p. XIV*; III p. XI*; 7690 = I p. 97; p. 272; IV p. XXI*; p. XXVIII; 7691 = IV p. XIII*; 7730 = I p. 94; p. 99; V p. XXXV; 8048 = I p. 74; p. 188; 8160 = I p. 232; 8175 = I p. 191; 8484 = I p. 219; 8738 = I p. 59; p. 70; V p. V*; 8844 = I p. 173; 8865 = I p. 103; 9341 = I p. 173; 10296 = I p. 173; 10372. 10373 = II p. XXXV adn.; 10443 = I p. 138; 10588 = I p. 77; IV p. XXVII*; 11218 = (suppl. lat. 212) = I p. 53; III p. XXXIV; 11219 (suppl. lat. 1319) = I p. 57; III p. XXXII; 11529. 11530 = I p. 108; IV p. XIV; V p. XIV; p. XXI*; 11531 = I p. 173; 12400 = I p. 173; 13014 = I p. 234; 13023 = I p. 99; 13030 = I p. 173; 14432 = I p. 148; p. 219; 14744 = I p. 173; 15462 = I p. 191; 16186 = I p. 228; 16217 = I p. 191; 16218 = I p. 191; 16219 = I p. 191; 16592 = I p. 103; 16678 = I p. 191; 16702 = I p. 2 adn.; 17162 = I p. 173; 17878 = I p. 173; 17879 = I p. 173; 17880 = I p. 191; 18521 = I p. 191; cod. Paris. Papiæ (Thurot Not. et Extr. XXXII p. 45) = I p. 175; nov. acquis. lat. 763 = I p. 137; p. 185; 1296. 1297 = IV p. XXXVIII; 1298 = I p. 115; IV praef. p. XIV*; V p. XI*; 2332 = III p. XXIII adn.; gr. 2627 = II p. XXX*; p. XXXIII; gr. 2628 = II p. XXXI; p. XXXIII; gr. 2885 = III p. XXIII adn.; suppl. gr. 83 = II p. XX*; 836 = II p. XXXIII adn.; III p. VII adn.; Arsén. 712 = I p. 191; 976 = I p. 191; 1225 = I p. 173; S. Genov. B 119 = V p. XXV; CC l 2 = I p. 184; p. 185; p. 272; 1548 X 2 = I p. 191; Mazar. 580 = I p. 191; 3790 = I p. 173; cod. Puteaneus deperditus = II p. XXXV; Stephani ed. Paris. bibl. nat. X 942 = II p. XIX. — Patavini bibl. S. Anton. 1 et 2 = I p. 191. — S. Pauli Carinthiaci = II p. XXXVII* — Pommersfeldensis 2821 = II p. XXXVI. — Portensis = I p. 272; V p. XXV. — Pragensis = I p. 168.

Remensis Papiæ = I p. 175. — Rodomenses v. Rothomenses. — Romani Angelic. R 4. 7 = V p. VII*; Casanat. 464 = I p. 173; Chis. L VII 244 = I p. 174; L VIII 288 = I p. 174; L VIII 289 = I p. 191; Vatic. 1260 = I p. 47; p. 53; III p. XXXII*; 1461. 1462. 1463 = V p. XXV; 1465 = I p. 174; 1466 = I p. 174; 1468 = I p. 74; p. 146; IV p. XII*; V p. XXIX; 1469 = I p. 75; p. 80; p. 99; p. 103; p. 128; p. 147; p. 165; IV p. XVII*; V p. XVIII*; V p. XXX; 1471 = I p. 94; p. 96; p. 138; p. 147; V p. XXX*; 1552 = V p. VI*; 1889 = V p. VII*; 1558 = I p. 72; 2370 = I p. 241; p. 262; 2741 = V p. VIII; 3320 IV p. XI; V p. XXVIII*; 3321 = I p. 76; p. 78; p. 118 sqq.; p. 132; IV p. VII*; 3441 = V p. VII*;

4322 = I p. 267; 4417 = I p. 47; p. 53; p. 58; III p. XXXIII*; 5141 = I p. 175 adn.; 5216 (sic!) = V p. VII*; 5228 = I p. 174; 6018 = IV p. X*; p. XIII; 6925 = I p. 20; III p. XXVIII; Ottobon. 1757 = I p. 174; 2231 = I p. 173; 2331 = I p. 174; Palat. 1467 = 175 adn.; 1773 = I p. 20; p. 267; III p. XXX*; V p. XIII; p. XXI; 1774 = III p. XXX; 1777 = I p. 191; Reg. Christ. 215 = I p. 148; V p. XXXII*; 227 = V p. XXXIII*; 310 = I p. 90; IV p. XXXIV*; 566 = I p. 138; 1048 = V praef. p. XXXI; 1260 = I p. 47; 1392 = I p. 174 adn.; p. 196; 1482 = I p. 174; 1590 = I p. 196; 1650 = I p. 99; Urbin. 304 = I p. 174; Vallicell. B 31 = II p. XXX; p. XXXI; B 45 = I p. 175; bibl. Vict. Eman. sub no 17 = IV p. VIII adn. — Rothomenses (Rouen) 1020. 1021 = I p. 173; 1022 = I p. 173; 1023. 1024 = I p. 191; 1025 = I p. 191.

Codex 'abavus' Salomonis = IV p. XXXVII. — S. Crucis cf. sub C. — Sangallenses 226 = I p. 100; 397 = I p. 233; 902 = I p. 17; III p. VIII*; 905 = V p. XXIII*; 908 = IV p. XXVI*; p. XXVIII; 912 = I p. 125 sq.; IV p. XV*. — Sarisberiensis 144 = I p. 192. — Seidenstettensis = I p. 103. — Senensis F V 8 = I p. 53; III p. XXXII*. — Stephani codices 'Hermeneumatum' = III p. XIV sq. Stephani editio anni 1573 = II p. XV*. — Stuttgardienses phil. 2 = I p. 192; 3 = I p. 191; Q 56 = I p. 205; poet. et phil. fol. 21 = I p. 192.

Taurinensis bibl. nat. E. V. 44 = IV p. XXXVII. — Trecenses 160 = I p. 173; 531 = I p. 191; 539 = I p. 173; 1075 = I p. 191. — Folia Tremoniensa I p. 192. — Trevirenses 40 = I p. 20; p. 188; 1126 = I p. 191. — Turonenses 850 = V p. XXIV*; 851 = V p. XXV; 853 = I p. 191; 854 = I p. 196.

Valentinianenses 396. 397 = I p. 173; 379. 380 = I p. 174. — Venetus Bess. 497 = I p. 102. — Vercellenses 62 I = V p. XXIV*; 177 = I p. 191. — Vimariensis sub Hs Fol. 65 = I p. 261. — Vindobonenses 89 = IV p. XXXVII*; 894 = I p. 206; 1312 = I p. 196; 1454 = I p. 191; 2276 = I p. 168; 2339 = I p. 191; 2404 = IV p. XI*; V p. XXIX*; 5167 = I p. 241; 5373 = I p. 192. — Vindocinenses 113 et 113^{bis} = V p. XXIV*. — Vratislavienses Hugucionis = I p. 191; p. 194; Pseudapulei = I p. 53. 55.

Fragm. Wirceburgense = IV p. XXXI.

Zwettlensis 1 = I p. 19; cf. I p. 168.

CAPVT XXVI. SVPPLEMENTVM

§ 66. Codex archivi 'de la corona Aragon' Barcelonensis (Ripoll 74) 156 foliorum saeculi decimi varias glossematum collectiones continet, velut in fol. 19^{ra}: *Incipit sancta glossa. Abdicare alienare. Abo-*